




UC-NRLF


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

ΟΥΟΛΦΙΕ, ΤΕΥΤΟΝΙΗΣ ΚΡΙΤΙΚΩΝ ΚΛΕΟΣ, ΑΝΤΙ ΠΑΛΑΙΑΣ
ΣΟΙ ΧΑΡΙΤΟΣ ΚΡΙΤΙΚΗΝ ΤΗΝΔ' ΑΝΕΘΗΚΑ ΧΑΡΙΝ.

J. D. FUSS


AD

J. B. LYCOCRITICUM

EPISTOLA,

In qua loci Metamorphoseon et Fastorum Ovidii, nec non alii nonnulli sive defenduntur et illustrantur, sive emendantur, Chr. Conr. Sprengel emendationes exempli causa refutantur.

Adhærent Anonymi e *Repertorio Beckiano* mendacia.



LEODII,

TYPIS P. J. COLLARDIN, SUMTIBUS AUCTORIS.

A. MDCCCXXIII.

J. B. LYCOCRITICO
S. D.
J. D. FUSS.

Critices vel humilioris, ut nunc vocant, quæ verba auctori mentemque restituit, non, quid cuique vere falsove tribuatur, investigans, difficile esse et raræ laudis munus, neque tu, vir doctissime, neque quisquam ignorat sive ipse illa opera functus, sive, quomodo plerique fungantur, reputans. Aliis doctrina, aliis judicium, aliis utrumque deficit, alii denique, utroque pollentes, deploranda quadam ingenii ostentandi libidine et vanitate, quidam etiam laboris impatientia turbant magis evertuntque, quam restituunt. Ac, quod vulgo videmus, nimium sui amorem, nimiam de suo ingenio persuasionem difficilia conantibus obesse, id, haud scio, an in nulla re frequentius, quam in critica industria contingat. Neque vero mirum. Quippe critici partes, ut sunt difficiles sane et paucorum hominum, ita levibus atque inexpertis facillimæ et cujusvis esse videntur. Hinc et seniores quidem multi accedunt, quos discere etiamnunc, et, quid valeant humeri, expendere sapientius foret; sed inprimis importuna adolescentum turba, vitio ætatis, sibi nihil non tribuentis, alios contemnere suetæ, venerandas antiquitatis reliquias emendare laborat. His igitur, litterarum nostrarum bono, vehementer quidem suadendum putamus, quæ principes in eo genere viri, Hemsterhusius, Ruhnkenius, et, (a cujus tibi disciplina nominis honor adhæsit,) Wolfius, aliique pauci vel nostri vel superioris aevi de critices dignitate et partibus senserunt monueruntque, ut ea studiose legant secumque reputent; sed nulla re citius utiliusque, opinor, movebuntur, quam ineptorum criticorum sortem et rite explosam sive levitatem sive ignorantiam intuentes. En primariam epistolæ nostræ et causam et finem.

Legi enim nuper, casu nactus, Chr. Conr. Sprengel libellum: *Neue Kritik der classischen römischen Dichter in Anmerkungen zum Ovid, Virgil und Tibull*, Berolini a. 1815 vulgatum. Cujus præfatio, mira promittens, quum avidum me reddidisset, ipsum pervolventi libellum plura, (cf. ad *Metam.* IX, 654, pag. 49.) pæne persuaserant, hominem alios ridendi causa laborasse. Postremo, de bona fide jam certus, (paginæ enim 52. 56. non ludere arguunt,)

incertus hærebam., quid impensius mirarer, vanitatem, an doctrinam, an ineptiarum cumulum? Paucis: eum libellum judicavi, quem si quis ingenue, qualis esset, ostenderet, utiliorem operam navaret, quam una alterave scriptorem menda liberans, cujus rei gratia, nosti, non paucos libellos esse conscriptos. Itaque, Sprengelis emendationes excutienti et refutanti si forte quid proferre melius et tuo judicio probandum, si locum unum pluresve sanare contingat, id accessionem ducas, velim, primario, quod modo dixi, importunos monendi et absterrendi consilio: qua in re, si unquam, nostra ætate enixe obluctandum; eam enim vides vigere critices rationem, ut, nisi ignorantiæ et vanitatis libido severe coerceatur, verendum sit, ne quo tempore, ut in aliis litterarum partibus, de antiquitatis ingenio deque munere et dignitate critica excelsum quidquid etiam pueri garriunt definiuntque, eo ipso veterum scripta ad deteriorem conditionem revocentur. Quippe, quo major egregie doctorum penuria, eo libentius vulgo audietur delirantium sapientia. Nec enim nisi linguarum veterum et litterarum peritissimi est intelligere, hodie prævalens critice quantum distet a summorum virorum doctrina, ingenio et lucubrationibus, queis a mediæ ætatis barbarie redemta sunt antiquitatis monumenta. Quare, nisi et adolescentum et seniorum insolens futilitas rite confundatur, non mireris, si jam taedeat doctos homines veterum scriptis emendandis tempus industriamque impendere. Sed enim, ne justo longior sit justa querela, ad Sprengelianam operam veniamus; de qua, nec scio, quid alii dixerint, et diu quærendum non existimavi. Neque enim credibile est, quenquam de ejus libello eodem quo nos proposito jam scripsisse; adeoque verendum non erit, ne actum agatur; ac si quid forte dicamus ab alio dictum, nihil nocebit opellæ nostræ, si qua fuerit, utilitati. Neque vero magnopere curo, si quis plagiarium me arguat, in menda quadam cum alio congruentem. Enimvero ab hoc incommodo in litterarum, qualis hodie est, conditione adeo difficile est satis cavere, ut, qui nimis metuat, ne quid post alium dicat, ei a veterum scriptis emendandis atque interpretandis sit abstinendum. Quod autem difficile in media Germania, difficilius multo foret mihi, in Belgio degenti.

Sprengel, mira, ut diximus, in præfatione pollicens, ne quis fidem jactanti neget, novam critices viam, (quid enim vetusta præstet nostra ætate dignum?) novam igitur se ingressum gloriatur, singularem sane, imo interdum jocosam, fatetur, et quæ risum moveat, at certissimam eandem et litteris fructuosissimam. Nimirum Sprengel, sicut detexit, omnes flores, non modo, quibus dulcis succus, sed omnino omnes, quibus vera corona (*Blumenkrone*), ab insectis fecundari, ita idem detexit, omnino quidem ignorantiam et

stuporem, ut par est, monachorum maxime, ad fœdanda veterum scripta, sed inprimis tamen valuisse quatuor causas, videlicet: falsam persuasionem de hiatu et cæsura (sic brevitatis gratia brevem syllabam in cæsura vocat) vitiosis, linguæ latinæ, et majorem græcæ ignorantiam, et pravam religionem (ipse *bigotterie*) impudice dicta mutantem. Sic fere Sprengel, neque putes me aut finxisse quid, aut maligne auxisse.

Jam, singula quod attinet, non dubito, quin statim quæras, quid hic novi? Et ipse fateor, me non reperisse nisi novam ineptiendi viam. De religione nota res est, interdum lasciva et obscœna insulsa pietate esse mutata; at hinc non sequitur, quoties tali vocabulo sensum probabilem eruere possis, scriptoris ingenio et dictionis arte omnibusque codicibus neglectis, ad istam religionem esse confugiendum. Enimvero non tam vulgarem fuisse hanc pietatis labem, arguunt obscœna innumera in Catullo, Juvenali, Martiali, in ipso Horatio, a recentioribus demum in juventutis christianæ gratiam castigata, et in his pleraque, ut sane puto, in nullo superstite codice mutata. Sed fingamus, quidquid obscœni in veteribus, a multis librariis deletum corruptumve esse, non minus manifestum erit, rarissime accidisse, ut ista castigatione vera lectio aut interiret prorsus aut in lectionis varietate non agnosceretur. Linguæ autem latinæ ignorantia quid potuerit in scriptore latino corrumpendo, item nota res est; ad græcam vero quam feliciter recurrerit Sprengel, in singulis intelliges. Restant, queis insigniter se jactat, cæsura et hiatus.

De syllaba ictus vi producta viri docti et a sensu communi nusquam aberrantes, in iisque Petrus Burmannus, satis docuere, quandoque hanc vocabuli mutandi causam fuisse, et nonnulla auctoribus, alias genuina, alias dubia reddiderunt. Sed quam rara omnino ista corruptio fuerit, quamque rarissime codicum in corruptis consensu vera lectio evanuerit, quis ignorat, nisi cui fixum sit, brevis syllabæ productione Sprengelis exemplo insignem poeticæ dictionis et rhythmi inscitiam prodere? Cæterum is sæpissime recurrit ad brevem syllabam cum hiatu conjunctam, ut in Virgilii *increvi acutis* (Vide, quæ nos ad hunc locum.); ubi ante ipsum legebatur *increvit.* Quam conjunctionem in ictu pedis duplex vitium ab ignaris librariis habitam fingit. Eandem igitur novam viam et, si pergat, facile sexcentis in quovis poeta emendationibus fœcundam, egregie a se commendatum existimat criticus, tredecim locis, ubi hiatus, viginti quinque, ubi brevis syllaba ictu producta occurrit (v. pag. 1 et 51.) Quæ exempla quum in hiatu ad notissimum ejus licentiæ usum referenda sint, velut *Pelio Ossam* et similia, in brevi autem syllaba partim ad dubiæ lectionis locos, partim ad casum, ubi vulgaris aut frequentior ictus producentis vis, velut in

cinnamaque, *costumque*; quum denique cætera exempla e quinquaginta amplius versuum millibus collecta, conjicis, credo, quam eximia futura sit *nova poetarum classicorum critica*. Quod conjicis, in singulis jam nunc cognosce, initio a *Metamorphosibus* ducto; has *Fastorum* paucæ sequentur, postremo autem quædam, Sprengeli non tentatæ, Catullianæ *de coma Berenices* elegiæ emendationes, nec non in Prop. III, 4, nota accedet. Si quos in *Metamorphosibus* quoque aut *Fastis* adjicere locos libeat, hos Sprengelianis inseremus.

NOTÆ IN METAMORPHOSES.

I, 544, (Spreng. pag. 4.) Daphnen sic precantem facit poeta:

— spectans peneïdas undas,
Fer, pater, inquit, opem, si flumina numen habetis.
Qua nimium placui, tellus aut hisce, vel istam,
Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.

Cujus loci versum medium menda non carere, plerique sunt meritoque suspicati. Nam et, *qua* quomodo vertatur satis apte ad rem, nemo vidit, et *hisce* ad *tellus* quidem bene; sed telluris mentio non fit in Lactantii Metamorphoseon argumento. Minus me offendit, quod nympha, dubitans de patris *numine*, telluris opem implorat; quippe quæ nec longiore prece uti, instante Apolline, posset, et, ut homines in summo aut dolore aut vitæ discrimine facere solent, præsenti malo conterrita auxilium undecunque petat. Ne *mutando* quidem prorsus displicet cum *tellus* conjunctum, si deam Tellurem implorari fingamus, cui, non absurdum est, vim mutandi divinam tribui. Paucis: locus merito suspectus ferri tamen potest hac sententia: fer opem, pater, si flumina numen habetis, aut tu, tellus, in qua nimium placui, hisce etc. Sic utique mallem, quam, medio versu sublato, precem justo breviorem, et orationem quasi hiulcam relinquere, Ovidio indignam, quem, in summa etiam brevitate, semper rotundo ore plenum properare miramur.

Sed quid Sprengel? Tellurem invocari non posse, et Apollinis mentionem fieri, necesse esse; hiatum corrumpendi causam fuisse; poetam scripsisse *quæ nimium placui Delio*; sensum esse: fer opem mihi, quæ, etc. Sic primum habes *fer opem*, *quæ placui*, omisso *mihi*, quod tolerari prorsus nequit; deinde Daphnen patri quasi præcipientem: *aut hisce* (scil. ut me recipias), *vel perde figuram*, in quo, vides, quam ineptum sit *hisce*, quam sensu etiam obscurum; deinde *Delio aut*, alienissimum ab Ovidiani versus suavitate. Hæc conjuncta intuens, mirer, si non respuas primam ope hiatus emendationem; qua tantum sibi placuisse diceres Sprengelem, ut, lætitia impeditus, non viderit quidquam posse objici.

Quanquam eadem in omnibus confidentia. Nusquam dubitat, semper decernit, ut merito decreta ejus emendationes adpellemus. Scilicet, quum nova via incedat, cur incredibile sit, eum reperisse, quæ via ab Heinsio, Burmanno, Gierigio aliisque calcata reperiri non potuerint? Interim me communi etiam via ingredientem audire velis.

In versu medio quæ offendant, dixi: quibus adde, minime absurdum esse, si Apollinis mentionem faciat nympha; in hoc enim Sprengeli assentior. Quid igitur, fingens, poetam scripsisse *cui nimium placui*, *deus est : vel siste*, *vel* etc. haberesne sensu commendandum, Apollinis, puta, qui se deum in præcedentibus confessus, mentionem, idoneam causam, cur patris numen, deus contra deum invocetur, et in verbis *siste* (scil. deum), *vel mutando perde figuram* ea, quæ conveniant puellæ jam jam vim passuræ? Equidem, quid aptius dicatur, non reperio. At textus mutationem, objicies, esse nimiam. Fateor, sed tamen, quo defendam, habeo. Ponamus enim versum fuisse, qualem finximus; vides, semel mutato *siste* in *hisce*, nec *vel* manere, corrupto metro, potuisse, et *hisce*, quum ad amnem referretur, ineptum, ut supra animadvertimus, obscurum fuisse; quod ut apto vocabulo jungeretur, fateberis, nullum citius induci debuisse, quam *tellus;* hoc vero inducto, jam mutandum fuisse *cui*, ut ad *tellus* non plane absurde referretur. Non minus probabili ratione ad vulgarem lectionem pervenies, si primo corruptum esse fingas *deus est* in *tellus*. Sed aliud probabilis, aliud certa emendatio, quales sunt Sprengelis. Nos conjecturam, non dubito, quin novam, adjecimus loco suspecto et a multis varie tentato, nec satis aut defenso aut explicito.

II, 117, (Spreng. p. 6.) criticus explicat quid sit *extremæ Lunæ*, Burmannum, Gierigium, Vossium etiam carpens; quam recte, mitto; cum emendatore enim mihi non cum interprete negotium est.

II, 839, (Spreng. p. 7.) interpretis pariter lauden cum aliorum reprehensione, et insigni, ut cernere est, industria quæsivit Sprengel in loco:

Quæque tuam matrem tellus a parte sinistra
Suspicit: indigenæ Sithonida nomine dicunt:
Hanc pete.

Hic igitur nihil adderem, si criticum id assecutum esse existimarem, ne porro cuiquam dubitare liceret de loci integritate: qui mihi quidem, comparata varia ejus interpretatione, talis videtur, ut potius in emendando quam in explicando laborare commentores debuerint. Difficultatem autem totam vides in verbis *tuam matrem*. His enim manentibus, quum

terra, quæ Majam, Mercurii matrem, sive Pleiadum sidus suspiciat, designetur, desperanda extitit interpretatio, sive ad astronomiam cum multis, sive quocunque confugias. Vide igitur, an, levissima mutatione a codicum consensu discedentes, conjecturam non ineptam, qua omnis difficultas tolleretur, proponamus. Mercurio petenda terra Sidonis, in qua urbes Tyrus, et, huic ad sinistram partem sita, Sidon; Sidonem autem Phœnicum sive Sidonidis vel Tyriæ regionis communem ipsiusque Tyri matrem consentiens vocat antiquitas. Quid igitur, si poeta, et doctus, et doctrinam fere in simili casu prodens, hoc ipsum innuere voluisset, sicque vel Phœnicen omnino, vel Tyrum dixisset tellurem, quæ, matrem suam, Sidonem a parte sinistra suspiciat? Certe nec absurda videtur res, nec male expressa; quippe situm locorum cum vere, tum commode etiam et lucide indicatum vides. Atqui unius litteræ mutatione interpretationem obtinemus. Sed *tellus suam matrem suspiciens* quid vellet, non tam proptum librario fuisset scire, quam Mercurio esse matrem; unde non mirareris *suam* ab eo mutatum esse in *tuam*. Unum offendit *suspicit*, vulgatæ lectioni potius favens. Sed ego sapientius non habeo; tu, quam sit sapiens, judicato; locus autem quin corruptus sit, ne dubites.

III, 44, (Spreng. p. 12.) criticus *tortum* vel *tortus* decernit pro *totum*, ut sit

— Tantoque est corpore, quanto,
Si tortum (vel tortus) spectes, geminas qui separat arctos.

Mihi *totum* non adeo absurdum videtur, ut defendi nequeat; sed hic operæ pretium non videtur reluctari.

IV, 259, (Spreng. p. 14.) criticus decernit *lymphatum patiens* pro *nympharum impatiens*; ut sit

Tabuit ex illo dementer amoribus usa,
Lymphatum patiens, etc.

Quod ut necesse non putamus, sic æquius ferendum, quippe et alias non absurdum, et codicum etiam lectionibus nonnihil commendatum.

IV, 359, (Spreng. p. 16.) criticus credit, Ovidium scripsisse *inguina* pro *pectora*; scilicet, non jam nare Hermaphroditum potuisse, utpote cum nympha luctantem, et hanc partem a lasciva petitam, vero similius esse, quam pectora; deinde, si poeta scripsisset *inguina*, non potuisse scribere *manus*, quippe nymphæ ad illa tangenda una tantum manu opus fuisse; præterea *subjectat manus* prorsus non intelligi; se igitur legere *subreptatque manu*; duplicem in uno versu

hiatum et rem obscœnam corrumpendi causam fuisse. Sic habemus :

Pugnacemque tenet luctantiaque oscula carpit,
Subreptatque manu, invitaque inguina tangit.

En versum non leviter immutatum; quam recte, paucis expensum accipe. Primum, ut sanum sit *subjectatque manus*, necesse non est, Hermaphroditum adhuc natare. Subjectamus enim manus (scil. brachiis), corpus alicujus amplexari vel constrictum tenere cupientes, quod cur in stante non perinde atque in natante concedatur, ratio nulla; neque magis video, cur aliter, ac res suadeat, vocem interpretemur. Nempe puella *pugnacem tenet*, (ne evadat, retinet) *oscula carpit*, *manus subjectat*, sicque *invita pectora tangit*. Quid hic non conveniens rei? Nam una manu tantum opus fuisse, hoc quidem nimis futile est. At Sprengel inguina tangi prorsus vult; an puella etiam voluerit, ridiculum sit dubitare. Sed finge, poetam scripsisse *inguina*, non videmus, cur ideo mutetur *subjectat manus;* utrumque enim fieri potuit. Mutat tamen criticus ambo vocabula; nempe, ut hiatum, qualem vix usquam ferremus, inducat, et vocabulo utatur cum novo, tum, quo loco usurpat, inepto. Enimvero ad inguina manu *subreptare* (*i. e.* furtim subrepere), ipse facile, opinor concedet, non tam luctantis Salmacis esse, quam volentem amatorem amplexu foventis; sicut nos libentes concedimus, utriusque esse inguina velle tangere. At enim hinc non sequitur, quod absurdum non fuisset, poetam vere scripsisse; qui, licet quandoque justo lascivior inveniatur, tamen sæpissime, vel artis ratione et pulchri sensu suadente, inguinis mentionem apertam vitavit. Quare, nisi gravissimæ causæ adferantur, necesse non erit, imo temerarium, fastidiosa illa vocabula, tanquam a librariis male pudicis mutata, poetæ restituere. Habes primam *religionis*, de qua supra pauca diximus, emendationem; en secundam.

Inguine enim vati tam feliciter restituto, eodem spoliatum vidit criticus in loco *Am.* I, 5, 19:

Quos humeros, quales vidi tetigique lacertos!
  Forma papillarum quam fuit apta premi!
Quam castigato planus sub pectore venter!
  Quantum et quale latus! quam juvenile femur!
Singula quid referam? Nil non laudabile vidi, etc.

Legit igitur *quale inguen* pro *quale latus;* deinde, occasione utens, duo insuper emendat, ubi, quantum ipse intelligo, nihil mutandum. Primum *premi* falsum pronuntiat; non enim formam corporis, sed corpus premi; quasi non forma sit, qua rotundum e. g. aptius prementi quam quadratum. Pergit, *aptum commodumque ad premendum* (*geschickt oder*

bequem zu drücken) non esse bonam locutionem. Cur? an germanice an latine? Ipsum roga; ego, quid velit, non assequor. Scribatur, inquit, *manu*, ut sit *papilla*, *quæ cava manu tegi possit.* Quominus dubites, poetæ grandes papillas pulchras non haberi, e *Rem. Am.* v. 337. intelligi. Manu autem esse dativum casum, quod latuisse loci corruptorem. Credamus hoc (cf. Propertii *reddere pinu cornua*); concedamus etiam, venustius esse *apta manu*, quam *apta premi.* An ideo locutionem bonam, et forma etiam poeticam (cf. *apta jungi* et similia) bonam esse negabimus? Minime; nisi desipiamus. An bonam et codicum consensu probatam, neque sensu ineptam: quis enim nescit, aut suave censeri papillas premere, aut prementi alias aliis minus aptas posse reperiri? An igitur hanc lectionem alia, quantumvis ad sensum optima, mutemus? Omnium minime; hoc enim jure semel in scriptores concesso, quid non mutabimus? Nisi quis reputet, omnes omnia ita dixisse, ut melius nemo potuerit.

Nos, a tanta stoliditate caventes, neque hic *manu*, neque in versu tertio pro *planus* statim decernemus *plenus*, quia critico placet antithesis *plenus venter sub castigato pectore* (*ein völliger Bauch unter einer knappen Brust*, *eine Antithese.*), in quo quid tam pulchrum sit, ipse intelligat melius; ego non video, cur pulchri ventris formæ prorsus repugnet *planum*, modo ne planum tabulæ instar fingamus. Deinde vero de parte ventris pectori proxima intelligere mallem, quæ si tumida, imo si justo eminentior esset, haberemus jam ventrem non ad Veneris Mediceæ exemplar conformatum. Sed in loco, ut verum dicatur, satis difficili æquius feres Sprengelem ab emendando non abstinuisse: minus tolerabis, opinor, *latus* in *inguen* mutatum. Quis amator, inquit, unquam magnitudinem et conditionem laterum puellæ suæ jactavit? Si cum poeta descendente descendimus, inter ventrem et femur non latus invenimus sed inguen; igitur *quantum et quale inguen.* Ejusdemne, quæso, hominis videtur et puellarum pulchritudinis summum judicem in corporis venustate adumbranda emendare, et, quanta ejus in lateribus pars sit, quantamque vim habeat, ignorare? Sed enim hic ignorantiæ veniam demus. Quod vero idem e verbis *singula quid referam?* non intellexit, poetam, proximis partibus, ventre et femore, memoratis, inguen ipsum nominare noluisse, id demum intolerandum diceres. Cæterum quantitas inguinis quanti sit in puella ad pulchritudinem aut jucunditatem momenti, me doctioribus disceptandum relinquo.

V, 50, (Spreng. p. 19.) criticus in loco

— Quam (formam) divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis,

integer ab omnibus interpretibus falso redditum esse, pronuntiat; ac sane dubitare possis, innocentemne dicas juvenem, quod placet Sprengeli, an integra sive florente ætate. Posterius malo, quia credibile non videtur, poetam loco tam alieno ad puerorum Romæ corruptionem allusisse. Sed hic aut nulla aut levis critici culpa, ni vocabulo, a se uno, ut putat, intellecto ad gravissimum errorem duceretur in loco Propertii:

Me quoque consimili impositum torquerier igni,
Jurabo et bis sex integer esse dies.

Obstupesco, inquit criticus, neminem animadvertisse ridiculum mendum; — Propertius scripsit *deos*; nempe librarium ignorasse, *jurare deum* dici pro *jurare per deum*; forte etiam cogitasse, maledictis paganis (verdammte Heiden) amplius duodecim deos fuisse. Vult scilicet, poetam per Deos Consentes jurare. Quæ quam sint plena futilitatis, me tacente, vides; sed plenius patebit ex iis, quæ alio loco ad Propertii elegiam adnotabo; non est enim felicior hæc emendatio, quam altera in præcedenti versu, ubi pro *impositum* legit *zeli*, ad græca hic primum recurrens, quam novæ ejus criticæ partem supra attigimus. Cur autem *zeli*? Quia, inquit, non de vero, sed de zelotypiæ igne sermo est. Est sane; sed hoc nil impedit, quominus poeta, puellam suam zelotypia torqueri, audiens, dicat, se quoque consimili igni impositum torqueri, quin aut zeli vocabulum adjiciat, aut vereatur, ne ridiculum sit, alii quam vero igni se impositum dicere. *Zeli* quidem scripsisse Propertium, imo in mentem ei venisse scribere, credat judaeus Apella.

VI, 108, (Spreng. p. 21.) pro *luctante* criticus, (quod raro ei accidit,) credit tantum, Ovidium scripsisse *futuente*. Ego, non tam contra puellam, quam in concubitu luctantem intelligerem; est enim hæc vel in obnoxia votis et placidissima luctæ species, unde solennia in re ipsa aut in præludio (Cf. Prop. II, 14, 5, *nudatis mecum est luctata papillis.*) vocabula pugnæ sive luctæ significatione. Cæterum haud video, cur absonum sit, Jovem cum puella, præsertim sub aquilæ specie, paulum luctari, et, voti securum, vulgaris amatoris partes ad majorem forte voluptatem sustinere; non enim id agebatur, ut se divum patrem atque hominum regem ostenderet. *Futuente* equidem scriptum a poeta non citius credam, quam supra *inguen* pro *latus*. Novit enim, ut jam animadverti, quid artis ratio flagitet, nec, quo displiceat, verecundiæ immemor est, modo lasciviæ indulgeat. Sed Sprengelem fatali quadam impulsione

id meditari diceres, ut obscœnitatis labe poetam contaminaret. Hic quidem nimius inguinis amor.

VI, 201, (Spreng. p. 22.) ex antiqua lectione *satis propere sacris* unius litteræ mutatione locum, variantibus codicibus, varie emendatum non male restituit. Sprengel, legens *sitis* pro *satis*, ut sit

> Ite, sitis propere sacris, laurumque capillis
> Ponite, etc.

Quæ emendatio certissima videretur, si vel uno exemplo, participium *situs* ita usurpatum esse, constaret. Velles criticum tam levi et probabili mutatione in sequentibus contentum fuisse.

VI, 707, (Spreng. p. 23.) in loco:

> Orithyan amans fulvis amplectitur alis.
> Dum volat, arserunt agitati fortius ignes.
> Nec prius aerii cursus suppressit habenas,
> Quam Ciconum tenuit populos, sua mœnia, raptor.

Me auctore, aut nihil aut unam litteram mutabis. Scilicet ventus alis amplectitur puellam, dumque cum ea volat, *ignes*, id est cupido, ut verus ignis agitatus, fortius, (frigida, fateor, comparatione,) ardet; nec prius, licet vehementius stimulante cupidine, cursum cohibuit, quam sua mœnia attigit. Nimirum, non ea feritate Boreas; quamvis iratus antea, et natura violentus, ut putemus amatæ vim statim intulisse; sed, quam precibus flectere non potuisset, necessitate raptam, in sede sua, quo tendit, votis demum obnoxiam habuit. Sic exposita re, quid offendat, non reperio. Quod autem codex unus habet *avidis* pro *fulvis*, id præferrem, si satis idonea causa esset, cur cum Sprengele *ulnis* pro *alis* legeremus: qua mutatione adjuvari versus sequentis emendationem, criticus docet. Scribit enim *dum futuit*, *oculi arserunt fortius igne*, nempe et hiatus duos et rem corrupti versus causam fuisse, hominique inepto forte obversatum VIII, 180, *dumque volat*. Sed Boream, si amatam alis amplexus esset, volare haud potuisse: quod in vento aligero quam leve sit, vides; sed ferendum tamen aliquatenus. At quis feret *futuit*; quis additum *oculi*, quis omissum *agitati* et *volat*, quis denique duplici hiatu versum, qualis apud Ennium offenderet, qualem nec Ovidius, nec alius ejus ætatis poeta facere ausus esset. Quid, si Sprengeles multi inter, quos ineptos ipse vocat, librarios fuissent? Quales nunc classicos scriptores haberemus? Si tamen aliquid mutare ausis, me probante, pro *dum volat* leges *tum volat*, ut sit *amplectitur alis* (sive ulnis); *tum* (amatam tenens) *volat. Arserunt* etc., cæterum miror sane, cur hic ab inguine criticus abstinuerit;

pronum enim erat conjicere : *dum volat*, *exarsit agitatum fortius inguen.* Haberemus certe versum meliorem leviori mutatione, et brevem, quod amat Sprengel, in ictu productam.

VII, 292, (Spreng. p. 25.) dignam habes præcedentibus emendationem, legentis *euans* pro *olim*, ut sit

— Æson miratur, et euans
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

Cur sic? Ut ovum ovo, inquit, simile esse *jussa ibi terra* xv, 56; cur enim duplex temporis indicatio? Jure aliquem miraturum, Æsonem, reddita juventa, lætitiam non prodere. Igitur facit euantem (*juchhei! rufend*); sic clamantem lætari simul et juvenem se testari; non enim nisi juvenum esse, veluti *studiosi*, inexspectatam syngrapham epistola inclusam accipientis. Tibi vero, opinor, non erit, cur clames *juchhei!* Mihi quidem Horatianum quid succurrit, quod pectore malo premere.

VII, 357, (Spreng. p. 27.) locus non aperte corruptus, sed tamen una alterave voce suspectus, de quo quid ipse statuam, primum, Sprengel quid mutaverit, postremum accipies. Locus in ed. Gierigiana sic legitur :

Æoliam Pitanen a læva parte relinquit,
Factaque de saxo longi simulacra draconis :
Idæumque nemus : quo, nati furta, juvencum
Occuluit Liber falsi sub imagine cervi,
Quaque pater Corythi parva tumulatus arena :
Et quos Mæra novo latratu terruit agros.
Eurypylique urbem, qua Coæ cornua matres
Gesserunt, tum cum discederet Herculis agmen :
Phœbeamque Rhodon, et Jalysios Telchinas,
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Jupiter exosus, fraternis subdidit undis.
Transit et antiquæ Catheïa mœnia Ceæ, etc.

Vides, Medeam dici alia loca a læva parte relinquere, alia transire. Ab hac re mihi videtur omnis pendere difficultas. Non enim prorsus liquet, an, ex mente poetæ, loca, quæ relinquit, etiam transeat, anne, uno alterove ad lævam relicto, cætera tantum transeat. In priore casu nihil interest, quousque loca referantur ad verbum *transit*; in posteriore autem videndum erit, quæ loca relinquantur, quæ transeantur. Jam, si omnia inde a Pitane transiri ponamus, series locorum aut ignarum arguet poetam, aut ineptum. Transibit enim Medea Pitanen, simulacra draconis in insula Lesbo, Idæum nemus, agros latratu territos, Eurypyli urbem, etc. Atqui nemus Idæum, quum sit Troadis, supra Pitanen, Æoliam, contra Eurypyli urbs, (nam de agris latratu territis, dubium etiam,

ubi ponantur,) in insula Coa longe infra Pitanen sita est. Quare poeta aut ignarus locorum, aut ineptus, quippe a medio loco, non a superioribus incipiens. Sed neutrum facile concedendum in poeta geographiæ, sua certe ætate, peritissimo, et minime inepto. Igitur series orationis et locorum, si fieri potest, ita erit distinguenda, ut poetam nec ignarum nec ineptum faciamus. Id autem et alias commodissime, et sine ulla vocabulorum mutatione fieri potest in hunc modum.

Finge, Medeam e Thessalia, unde profugit, recta ad oppositam Æoliam tendere; tum infra Pitanen et Lesbon ad inferiora maris Ægæi descendere. Sic vere Pitanen et Lesbon, et superiora his loca ad lævam relinquit, neque transit, inferiora autem ad Telchinas usque, et, cursu in Occidentem converso, Ceam sive Ceon transit. Relinquit igitur a læva Pitanen, Lesbon, et, quod supra Pitanen, Idæum nemus, ubi Liber juvencum occuluit. Jam, si quærimus, utrum pariter a læva relinquat, *qua pater Corythi arena tumulatur*, i. e. tumulum Paridis, patet, hoc fieri vix posse, nisi pro *quaque* legatur *quoque*, ut tumulus sit in Idæo nemore, sicque supra Pitanen. Quomodo enim probabiliter dices *relinquit*, *qua pater parva tumulatus arena*, pro *relinquit parvam arenam*, *qua pater tumulatus*? Fateberis, poetam sic loquentem sine necessitate durum obscurumque fore. De Paridis porro tumulo diversam famam fuisse crederes; nam Quintus Smyrnæus in Troade, Strabo in Cebrenia sepultum tradit, quam Scylax Æolidis facit. Quare idonea causa non est, cur tumulum Paridis inter loca ad lævam relicta ponamus, nisi constet legendum esse *quoque* pro *quaque*. Sequitur adeo *quaque* jungendum esse cum verbo *transit*, ut sit, *quaque pater tumulatus arena*, *transit*, quæ conjunctio prorsus ad grammatices legem.

Proximus locus est *quos Mæra terruit agros*, quod salva grammatica utique referri posset ad *relinquit*; si præcedens *arena* ad nemus, vel eodem referatur, id quod diximus idonee fieri non posse. Nam manifestum est, si jungamus *quaque* cum *transit*, etiam *agros* cum eodem verbo jungendum esse. Cur autem *agros* inter loca transita, non ad lævam relicta ponamus, alia gravis est causa. Reperio enim apud Strabonem in littore, quod transit Medea, locum adpellatum Cynossema (i. e. monumentum canis) eumque prope insulam Symen, cui ad Occidentem fere insula Cos; unde vides, hoc Cynossema diversum esse ab eo, quod est in Hellesponti littore, ab Hecuba nomen habens. Illud igitur Cynossema, parum notum, utpote minore fama, quam Hecubæ monumentum, a puella in canem mutata nomen traxisse non temere mihi videor suspicari, quæ puella hic Mæra, sive recte, sive corrupto a librariis vocabulo adpellatur. Ut igitur Ovidius de Hecuba dixit *externas latratu terruit auras* (XIII, 406.),

sic consimili modo Cynossema, a Mæra nominatum, agros Mææ latratu territos ab eo dictum existimo. Post agros hosce aut simul Coam insulam transit Medea, ad inferiora descendens, tandemque, ut supra dixi, converso in Occidentem cursu, Corinthum, Ceam, prope Atticam, aliaque transiens loca, contendit.

Vides, me sedulo locorum seriem constituisse, qualem contextus orationis et res flagitare videbatur : in quo si a vero non aberravi, locus sic erit distinguendus :

Æoliam Pitanen a læva parte relinquit,
Factaque de saxo longi simulacra draconis,
Idæumque nemus, quo, nati furta, juvencum
Occuluit Liber falsi sub imagine cervi.
Quaque pater Corythi parva tumulatus arena,
Et quos Mæra novo latratu terruit agros,
Eurypylique urbem, (qua Coæ cornua matres
Gesserunt, tum cum discederet Herculis agmen,)
Phoebeamque Rhodon, et Jalysios Telchinas,
(Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Jupiter exosus fraternis subdidit undis,)
Transit, et antiquæ Catheïa moenia Ceæ, etc.

Vides *quaque arena* cum sequentibus referri ad *transit*, longius sane ab initio phraseos remotum, sed minus offendens ob phrases incidentes, quibus omissis, nexum orationis habebis, qualem centies apud Ovidium reperires.

Sed quid Sprengel? Pro *pater Corythi* decernit *amita Corythi*, pro *Mæra*, ad græca recurrens, decernit *mamma*, illud, ut amita Corythi sit Polyxena, hoc, ut mamma Corythi sit Hecuba. Polyxenæ, ob *haustus arenæ* (XIII, 525.), non Paridi congruere parvam arenam, quem adeo misere sepultum nemo tradiderit; Hecubam autem intelligi, apertum esse comparatis locis (XIII, 406.) *externasque novo latratu terruit auras*, et (XIII, 525.) *Tibi munera matris contingent fletus peregrinæque haustus arenæ*, quibus Hecuba Polyxenæ sortem deplorat. Hecubæ metamorphosin ad Thraciam pertinere, nota res est; Polyxenam alii, in his Ovidius, in Thracia, alii in Troade in Achillis tumulo mactatam tradidere. Thraciæ mentionem series locorum a nobis constituta, ideoque Polyxenæ tumulum excludit, nisi eundem in Thracia et in Troade ab Ovidio positum fingamus ; agros autem latratu territos ad Cariæ Cynossema retulimus. Sed concedamus, nos errasse. Quis tandem credat librarium pro *amita* scripsisse *pater*? Quis unquam somniabit, Ovidium pro avia usurpasse græcum *mamma*? Quis poetæ Augusteæ ætatis vocem tribuet a latinitate superstite prorsus exclusam? Quæ si Ovidii tempore usurpata esset, qui tandem nusquam reperiretur? Si ab Ovidio primum adhibita, quid tandem impellere eum ad græci

vocabuli usum potuit? Sed Sprengelis acumine et critica dignum sit in tali emendatione refutanda morari, qua nihil unquam criticus insulsius excogitavit. Vides, quo ducant syllaba brevis ictu producta (*amita*), et græca (*mamma*), utrumque in novæ critices Sprengelianæ primariis partibus.

VII, 460, (Spreng. p. 28.) criticus legendum putat *quæque patent aditu*, explicans: mare, quod latum aut navigabile est pervenienti. Quod refutatione non eget.

VII, 465, codices et editiones habent *quaque* et *quamque*, quod Gierigius se revocasse ait a Burmanno motum; ipse reperi in editione a. 1553. Hæc sana lectio; nisi quod scribendum est *quam quæ*. Scis, *e* passim pro *æ* in multis codicibus, et inde in vetustis editionibus inveniri. Rem adeo notam non reputantes latuit loci sententia, et Gierigio non adparet, cur insulæ nomen omissum. Tu vero, nihil omissum esse, cernes, sic distinguens:

Marmoreamque Paron (sc. sibi jungit), quam quæ impia prodidit Arne,
Sithonis, accepto, quod avara poposcerat, auro,
Mutata est in avem, quæ nunc quoque diligit aurum, etc.

Vides Paron auro proditam ab Arne, Sithonide, quæ, accepto auro, in monedulam mutata est. Quid vis amplius? Nihil, puto. Sensum non asseculi commentatores, post *auro* novam phrasin, sublato nexu *quam quæ prodidit*, *mutata est*, fecerunt, abruptam et in Ovidio non ferendam (cf. ad I, 544.) Quod *parus* avis nomen, nihil ad hunc locum pertinere, arbitror; sed in *Arne*, non mirer, si græcum aliquod monedulæ nomen lateat.

VII, 462, (Spreng. p. 82.) in

Promissis Anaphen, regna Astypaleïa bello,

Criticus, ut scilicet antithesin habeat, mirifice legit *ipsis* pro *bello*. Nempe non promissis, sed rebus ipsis Minos sibi regna Astypaleïa junxit. Hac emendatione impulsus, minus absurde, sed tamen vane in Ovid. *Am.* III, 1,16, *O argumenti lente poeta tui!* legit *ipse* pro *lente*; dubium non esse ob *Trist.* V, 1, 10 *sumque argumenti conditor ipse mei.*

VIII, 182, Spreng. p. 31.) criticus conjicit *Helicenque tuentis* pro *anguemque tenentis*, ut sit

Qui medius nixique genu est Helicenque tuentis.

Scilicet Coronam manifesto esse inter Herculem et Booten, non inter Herculem et Ophiuchum. Booten autem Helices quasi custodem esse, unde arctophylax, sive custos ursæ, et custodiendi notionem habere verbum tueri. Possis vel hoc probare; non enim absurde repertum; vel aliud proponere non minus probabile; sed, me auctore, nil mutabis. Est enim

corona inter genu Herculis et Anguis caput, quem tenet Ophiuchus. Atqui Anguis cum Ophiucho veteribus unum sidus. Ne dubites, confer Eratosthenis *Catasterismata*. Sic igitur Corona vere est inter Herculem et sidus Ophiuchi; nec sufficiens causa est, cur ad græcum nomen Ursæ recurramus; nec erat, cur Sprengel hoc exemplo per græca vocabula emendandi libidinem commendaret Aliud enim græcis vulgo receptis idoneo, aliud alieno loco uti, aliud non recepta inducere, et poetis *mammam* pro avia affingere.

VIII, 236, (Spreng. p. 33.) criticus in versu

Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix

Legendum esse *ulice* pro *ilice*, eaque occasione monet, Linneum in antiquis plantarum nominibus pessimi moris fuisse (*grossen Unfug getrieben*); in quem et alibi acerbissime invehitur. Hic autem quid recte secusve dixerit, nunc quærere non libet.

VIII, 605, (Spreng. p. 37.) memorabilis est Sprengeliana critica locus

— Ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu.
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus, et inducta condi præcordia terra.
Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris.

Hic primum Sprengel reprehendit Burmannum, qui non viderit, falsum esse *mulcebam*. Quid enim, inquit, *ipse mulcebam*, quum satis sit ego mulcebam? Nimirum *tangere* hic esse *sentire*, eamque notionem in lexicis desiderari; sensum itaque esse: ipse, non nympha modo, sentiebam. Sic decernit, comparato xv, 568, *quæ vidit*, *tetigit*. Quæ, intelligis jam, quam sint inania. Sed cum interprete, diximus, nobis negotium non esse. Pergit, de toto sive integro corpore demum agi versu 610; legendum ex uno codice *tactum* (quod Burmanno jam probatum esse, notat Lemaire) *corpus*, ut sit caro tacta. Hoc absurdum non foret, sed necesse non est. Quid enim offendet, si sensus: dum pectora contrecto, sensi totum corpus durescere (ferebat enim nympham Achelous, quamvis natantem, neque pectora tantum suo corpore tangebat. Cf. 594. *nantemque ferens*, 598. *quam porto*,) et præcordia terra inducta condi. Nempe ab hac parte, quam manu tangebat amans, terra reliquum corpus occupavit. Hoc qua celeritate factum sit, narrant versus sequentes, quos equidem nolo resecare, quamvis Heinsio et Gierigio placuerit; ne manca sit metamorphoseos descriptio; non enim satis, præcordia terra condi, ut totum corpus in insulam mutatum

intelligatur. Hic igitur assentior Sprengeli. Sed eosdem versus, di boni, quomodo mutare ausus est! *Dum futuo, amplexa est artus nova terra fututos, et gravis incubuit futuentibus insula membris.* O fatalem inguinis et futuendi cupidinem, quo veneranda ingenia futuantur! At qua ratione monstrum emendationis defendit? Primo absurdum vocat *dum loquor*, et vix non petitum e IV, 592; deinde, quoad *increvit*, potuisse Virgilium dicere *jaculis increvi acutis* (sic a critico emendatum supra dixi), at insulam non posse dici alii rei adcrevisse. Denique, quem intelligere *gravis insula?* Sed enim in præcedentibus Acheloum fateri, nymphæ papillas a se contrectatas; quare par esse, longius esse progressum amatorem, et fecisse id, cujus præludium modo sit papillarum tactio. *Incubuit* vero et a voce *gravis* flagitari, et proxime accedere ad duorum codicum lectionem *incurrit.* Scilicet hucusque, argute concludit, ab Acheloo portatam esse levem nympham, nunc eandem, insulam factam, gravem inguinibus ejus incubuisse. Sic omnia mirifice cohærere, etc.; monachum, qui corruperit VI, 108, hic, quum eandem vocem ter reperiret, signo sanctæ crucis se muniisse, et continuo locum depravasse. Hæc criticus. Tu vide in præcedentibus, an veritatis levissimam speciem habeat, Acheloum, qui, nympham ferens, Neptunum, ut ejus misereatur, orat, futuentem preces fudisse. Quod autem Sprengel non ignorat, nympham ab Acheloo portari, imo, quod fututam facit, hinc collige, qua levitate semet impugnet *tactum* pro *totum* probans, quasi hanc tantum partem Achelous tetigisset. Cætera jam tædet refutare.

VIII, 724, (Spreng. p. 41.) ubi codices variant inter *sunt et sint*, *coluntur et colantur*, sed consentiunt, certe plerique, in *cura deum di*, (ex quo Heinsius fecit *cura pii dis*,) Sprengel, ad hiatum confugiens, cæterum levi mutatione legit:

Cura deum hi sint, et, qui coluere, colantur.

Non absurde; sed poterat legere sine hiatu *deorum hi.* Equidem, si legerem *hi*, mallem *sunt*, quam *sint*; quid enim optasset hæc pronuntians, ut cura diis essent, quos esse constabat? Et omnino, quidquid legas pro *di*, ineptum manebit *sint*; quod equidem persuasum habeo inductum esse ob sequens *colantur*, sicut *coluntur* ob præcedens sunt, ut *modo* congruerent hæc verba. Pro *di* autem, vide, an ferendum *pii* una syllaba; cujus si unum exemplum nossem, prorsus crederem ab Ovidio scriptum *cura deum pii sunt, et, qui coluere, colantur.* Possis etiam conjicere non indignum poeta *cura deum qui sunt, et quos (dii) coluere, colantur.* Habes enimvero et constructionem leniorem, omisso

dii, et levem mutationem unius codicum lectionis, et *quos* facile in *qui* mutasset librarius, sic citius intelligens quid vellet poeta. Vides certe, recentibus sertis pios conjuges colentem, quos curam diis esse et a diis cultos, miraculum testabatur, nil aptius ad rem dicere potuisse, quam hominibus colendos esse eos, qui cura deum sint, et quos dii coluerint.

IX, 33, (Spreng. p. 33.) criticus nihil esse dicit *varas manus*; poetam scripsisse *varus*, ut sit

Brachiaque opposui, tenuique a pectore, varus
In statione, manus, etc.

Sed hoc nihil est. Ne dubites, confer Statii, in pugna Tydei et Agyllei, ubi Ovidium manifesto imitatur, *brachia late vara tenent*; quem putes *brachia* dixisse, ut simile Ovidiano, non idem diceret. Ut autem prorsus τεχνικὸν esse intelligas vara brachia, cf. etiam Mart. VII, 31, 9, *vara nec injecto ceromate brachia tendis*, ubi quidam legerunt *rara*. Hoc tenens, neque in versu 37. Sprengelem audies, qui postquam vidit, Ovidium scripsisse *varus*, etiam vidit, non *crura micantia* eum scripsisse, sed *crura hiantia* (*die klaffenden Beine*); alteram scilicet altera emendatione confirmari, et ad eum verisimilitudinis gradum tolli, quem a vero vix discernere queas. At enim *hiantia*, hiatus gratia inductum, non minus vanum, quam *varus*. Confer Statii *collaque pectoraque et vitantia crura lacessit*, ubi non mirer, fuisse *atque micantia*. Cæterum, (ut similitudinem utique agnoscas,) pugnantes crure micante sive trepido motu, modo eminente genu, modo reducto, per vices instant, vitantve lacessentem. Vocis *micare* hanc vim usumque esse, nota exempla arguunt.

IX, 74, (Spreng. p. 43.) Sprengeli liquet poetam scripsisse *ussi ustamque peremi*, ut sit

Crescentemque malo ussi ustamque peremi.

Insulsum hominem (*Pedant*) ob duplicem hiatum versum corrupisse. Sed hoc, ad sensum quidem non absurdum, tamen nihil est. Nunquam enim Ovidius talem versum fecisset, et si fecisset, quis crederet, tam diversæ lectionis omne vestigium in codicibus interiisse? Quid autem scripserit, cum aliquamdiu desperandum judicassem, vero simile videor mihi reperisse. Codices duo habent *peremi*, cæteri *subegi*, *repressi*, *reliqui*, *revinxi*, *reduxi*. Ex his *subegi* et *peremi*, vix dubium, quin corruptæ lectioni sint substituta, ut sensus aliquis haberetur; quamvis ineptissimum sit *subegi*; nam in reliquis sensus nullus est, quem feras, licet in prima syllaba *re* congruant. *Repressi* et *reliqui* prorsus ridiculum; *reduxi* aut *revinxi* cur dictum sit, ratio non suppetit. Attamen utrumque

litteris non multum abhorrere a vera lectione videtur. Scis enim, fabulam narrare, Herculem truncatam jam cæteris capitibus hydram, reciso medio et immortali capite, quod terra defodit, scidisse (σχίσας ap. Apollod.), ut ejus felle sagittas imbueret. Lege igitur *revulsi*, et habebis cum a codicibus forma non nimis alienum, tum fabulæ conveniens, tum vero cætera non ineptum. De perfecto *revulsi* confer *Met.* VIII, 584, et *Her.* VI, 104, ubi editiones *revulsi* et *revelli*. His, erit forte, cur acquiescas, donec melius certumque proferatur; nam *peremi* nemo severior criticus verum judicabit.

IX, 637, (Spreng. p. 44.) criticus, Burmanni conjecturam *inconcessæque* pro *inconcessamque* textu dignam censens, insulsum esse ait *sine qua;* poetam scripsisse *in qua*, ut sit

Jamque palam est demens, inconcessæque fatetur
Spem Veneris, in qua patriam invisosque penates
Deserit, et profugi sequitur vestigia fratris.

Tu non facile, opinor, probabis *veneris*, *in qua*, quo sensu poeta potuit, vitata brevi in ictu syllaba, scribere *cum qua*, cæterum, ut nihil velis mutare, finge, (cui nec verba repugnant,) sententiam esse : spem veneris inconcessæ vel inconcessam fatetur, sine qua (spe, vel venere, i. e. fratre amato) invisam patriam et penates, i. e. patriam et penates sine fratre sibi invisos deserit. Vides constructionem, ubi *sine qua* pendet ab *invisos*, non a *deserit*, minime quidem vitiosam, sed quæ fallere non attentum aut parum peritum possit; at eadem sensus habetur optimus sine ulla mutatione.

IX, 646, (Spreng. p. 45.) criticus triumphat, legens *ipsa* pro *ignem*, ut sit :

Quoque Chimæra jugo, mediis in partibus ipsa,
Pectus et ora leæ, caudam serpentis habebat.

Quam merito triumphet, sic expendamus. Chimæræ formam nosti definitam versibus Homeri

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Eandem igitur formam memorans Lucretius, quum dicere vellet : qui fieri potuit, ut Chimæra cum triplici corpore, prima leo, postrema draco, media capra (i. e. chimæra), una esset (unum animal), et ore foras acrem efflaret de corpore flammam? brevius rem et implicita constructione, intelligenti tamen satis lucide expressit :

Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una,
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra,
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?

Vides, *chimæra*, nomen monstri, referri ad *una*, nec omitti potuisse; cæterum Homeri versum ad verbum exprimi. Homerum igitur cum Lucretio comparans, Sprengel intellexit, Ovidium petulanti, (quasi Homerum non intelligere ille videri voluisset,) Lucretii acumine, dicentis scilicet *media ipsa* pro *media capra*, mirifice delectatum, idem bis suis carminibus inseruisse: quare hoc loco pro *ignem* et *Trist.* IV, 7, 14, pro *flammis* scribendum esse *ipsa*, ut sit *esse Chimæram, a truce quæ ipsa separet angue leam.* At enim nec est in Lucretio, quod criticus vidit, acumen, nec Ovidius unquam scripsisset *a truce quæ ipsa*, quum aliter facere posset. Atqui hic pronum erat scribere: *quæ serpente truci separet ipsa leam.* Patet adeo hic causam non esse, cur in priore loco legamus *ipsa*, quod tamen, si vel uno codice niteretur, neque ego rejicerem. Interim igitur maneat *ignem*, in quo nihil offendit. Nimîrum poeta, monstrum, cujus notissima forma, nomine suo designans, vereri non debuit, ne quis haud intelligeret, *mediis in partibus ignem* ad eam pertinere partem, unde nomen habet Chimæra.

IX, 649, (Spreng. p. 48.) criticus interrogat, quo tandem pacto istud *capillis* Heinsius et Burmannus, omnesque critici immutatum relinquere potuerunt? Nempe Byblidis nihil interfuisse, dura an molli terra jacerent capilli; igitur scribendum *papillis*. Scio has voces quandoque confusas, et memini Ruhnkenium in nota ad Julium Rufinianum *de Schem, lex.* emendantem epigrammatis *Anthol. lat.* versum *Nunc mihi dicetur tumidis Arethusa capillis;* ubi certa emendatio *papillis*. Sed ecce Ovidii locum:

Procidis, et dura positis tellure capillis,
Bybli, jaces, frondesque tuo premis ore caducas.
Sæpe etiam nymphæ teneris Lelegeïdes ulnis
Tollere conantur, sæpe, ut moderetur amori,
Præcipiunt, surdæque adhibent solatia menti.
Muta jacet, viridesque suis terit unguibus herbas
Byblis, et humectat lacrymarum gramina rivo.

Vides, puellam, frondes ore prementem, terram etiam papillis premere debuisse. Sed enim necesse non est, Ovidium hoc dixisse, et quod commode et vulgo de pede, genu, capite, id de papillis inepte dictum existimares. Quid enim *positis papillis*, nisi *positis*, repugnante verbi notione, pro terram *prementibus* accipias? Equidem non *capillis*, sed *positis* corruptum puto, neque difficile est conjicere, quid fuerit. Lege enim levi mutatione *passis capillis*, et habebis, quo nihil aptius dici ad rem queat. Nosti enim passos capillos ad luctus et doloris ampliorem descriptionem in veteribus poetis ita pertinere, ut vix usquam desint. Confer in centum locis

ipsius Ovidii de Lucretia *passis sedet illa capillis*. Cæterum Sprengel, in priore emendatione non respuendus; ad incredibilem dilabitur, legens *fovet ignibus* pro *terit unguibus*. Nempe Byblin, ait, rivo lacrymarum humectasse gramina, sicque faventem se gramini præbuisse; hoc esse teneri adfectus, et lectoris eo misericordiam augeri; hinc autem colligendum esse, sequentis phraseos fore similem sententiam; atqui ad plantarum incrementum præter humorem etiam necessarium esse calorem, hoc autem in versu aliter non posse exprimi, nisi legendo *fovet ignibus*; hanc sententiam præparatam esse a poeta in verbis *positis papillis*; sic alteram altera emendationem niti; omnem denique, si quis dubitare etiam ausit, dubitationem tolli versibus *Fast.* v, 209:

> Est mihi fecundus dotalibus hortus in agris;
> Aura fovet, liquidæ fonte rigatur aquæ.

Ubi, pentametrum scribens, criticus, hiatus memor, videt Ovidium scripsisse *aura, fovet liquidæ fonte rigatum aquæ*. Quibus lectis, nonne venia digni erimus, si quid infaustum adclamemus; quo criticus moveatur, ut in perpetuum a corrigendo abstineat? Enimvero, quis tandem patienter feret hominem non conjecturis, sed decretis tantas ineptias summis Romanorum ingeniis adfingentem? Cæterum pro *sæpe etiam* mallem *sæpe illam*, vulgarem lectionem, regiis quoque Lemairii codicibus confirmatam.

IX, 717, (Spreng. p. 50.) criticus, ad græca et hiatum recurrens, scribit *erotis* pro *ætatis*, ut sit

> Par ætas, par forma fuit, primasque magistris
> Accepere artes, elementa erotis, ab isdem.
> Sic amor ambarum tetigit rude pectus etc.

Ita omnia cohærere, inquit, ut nihil supra, præsertim si pro *amor* scribatur *Amor*. Poetam *erotis* vocabulo uti, ne bis occurrat *amor*. Ignorabat, puto, pro *Amor puer* a Propertio aliisque dictum. *Ætatis* non immerito suspectum est, utpote obscurum; me tamen auctore nil mutabis. Artes primæ elementa sunt ætatis juvenilis, qua significatione quandoque occurrit ætas (cf. ἡλικία) simpliciter. Quod si hic nolis, ne sic quidem satis justa causa damnabis vocabulum; commode enim supplebis *illius*, ut sit ætatis illius, qua erant primas artes accipientes puellæ, i. e. puerilis vel juvenilis. Quidquid sit, *elementa erotis* non scripsisse Ovidium, tam vera res est, quam Sprengelem hiatu et græcis mirifice uti ad depravandum poetam.

X, 90, (Spreng. p. 57.) criticus legit *nam chaonis adfuit arbos, et nemus Heliadum, et frondibus esculus altis, et tiliæ molles et fagus*. Cur ita decreverit, non lubet expendere.

X, 309, (Spreng. p. 57.) mihi etiam displicet *flores* in

Tura ferat, floresque alios Panchaïa tellus,

Sed magis displicet Sprengelis, ad brevem syllabam in ictu recurrentis, *et odorum alios*. Sic scribere poterat malo critico dignus poeta, Ovidius non poterat. Quid igitur scripsit? Vero proximum si vis, lege *roresque alios*. Ne multum dubites, confer Tib. III, 4, 28, *Spirabat Syrio myrtea rore coma*. Vides, *rores* esse unguenta sive odores, quales parantur e succo sive rore arborum (cf. σταχτή, stacta ap. Plin. XII, 15, XIII, 1, et alibi; cf. eodem sensu quandoque occurrens *gutta*.) Nempe tus et myrrha ros arboris, unde poeta *sudataque ligno tura ferat, roresque alios, Panchaïa tellus; dum ferat et myrrham*. Quid amplius vis, quo emendatio commendetur?

X., 446, (Spreng. p. 69.) in loco:

Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

pro *inter* criticus decernit *citra* (cf. ad XIII, 716.), ut sit plaustrum sine Trionibus, i. e. sine bobus. Scilicet, si plaustrum dicatur sidus, non simul Triones sive boves dici posse. Habes futilitatem, qualem refutare peccatum foret. Quæris, quid ipse? Si ponamus sanum esse *inter*, sequitur, aut plaustrum flecti inter Triones, i. e. inter Ursam majorem et minorem (cf. Virg. *gemini*, Ovid. *gelidi Triones*), aut temonem esse obliquum inter eadem sidera; sed neutri admittendo idonea ratio suppetit. Ipse quidem Ovidius plaustrum Bootæ facit Ursam majorem non uno loco. Quare dubium non videtur, quin *inter* corruptum sit. Si in uno codice esset *infra*, avide arriperem, ut sensus esset, Booten flexisse plaustrum inferius a culmine, ubi media nocte fingunt poetæ. Si hanc conjecturam probas, distingue: Bootes infra flexerat Triones, plaustrum obliquo temone (de re cf. Anacr. στρέφεται, ὅτ' ἄρκτος ἤδη κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου); si aliud mavis, lege *septem*, et distingue: Bootes flexerat septem Triones, plaustrum etc. Melius non habeo his duobus; sed prius præfero.

Cæterum hac occasione inspexi locum Manilii

A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes,
Quod similis junctis instat de more juvencis,
Arcturumque rapit medio sub pectore secum.

Queis poeta, non obscure utriusque nominis causam complectens, Booten boves stimulantem, eundemque Arctophylacem a primaria stella, Arcturo, i. e. ursam custodiente, adpellat. Arcturus enim, si me contra Servium aliosque auctorem probas, non quasi ursæ caudam (οὐρά) sequens, sed

plane eadem significatione, qua arctophylax, ab οὐρέω, vigilo, custodio, dictus est. Sed vero proximum, diversa initio fuisse sidera Booten et Arcturum, postea confusa. Booten adpellatum a Manilio vides, *quod similis junctis instat de more juvencis*, ubi Scaliger ex uno codice legit *stimulis*, ad rem optime, sed offendit pluralis sine necessitate versus suavitati nocens. Si *similis*, sicque Arati, quem expressit Manilius, ἐοικὼς servare malis, possis legere *instanti more juvencis*; quod an quis conjecerit, nescio.

X, 654, (Spreng. p. 74.) habes græcum *tarso* pro *passu*.

XI, 134, (Spreng. p. 75.) criticus post numen ponit punctum. Ego, si codex unus habeat *deus* pro *deum*, hoc malim, ut sit Bacchus, qui deus est mite numen, etc.

XI, 291, (Spreng. pag. 59.) in loco difficili:

Forsitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, et omnes
Terret aves, semper pennas habuisse putetis.
Vir fuit, et tanta est animi constantia, quantum
Acer erat belloque ferox ad vimque paratus,
Nomine Dædalion, etc.

versum tertium alii spurium, alii corruptum judicant; sed defendit Spregel, recte quidem; nam verba *forsitan semper pennas habuisse putetis* flagitant contrarium *vir fuit*; et, omisso versu, nexus idoneus orationis desideratur: quod quoties fit, gravissima causa est, cur aliquid aut corruptum aut omissum esse, suspicemur apud poetam, quem supra diximus plenum semper et rotundum properare. Cæterum Sprengel versum explicat: tam immutabilis est animi indoles, quam acer erat etc. Si hoc probas, vides sic distinguendum esse: *vir fuit* (*et tanta e. a. c.*, quantum a. e. b. f. a. v. p.), nomine Dædalion; quod tamen criticus non monuit. Habes constructionem ferendam, sed satis insuavem. Quidni igitur levi mutatione aliam proponam, sensu utique, si quid judico, præferendam, legens

Vir fuit, (et — tanta est animi constantia! —, jam tum
Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus,)
Nomine Dædalion, etc.

Sic sensum habes: Dædalionem, quum vir esset, tam acrem etc. fuisse, quam post, in avem mutatum. Hoc poetam voluisse, mihi quidem multo videtur vero similius, quam tam immutabilem animi indolem esse, quam Dædalion acer etc. fuerit; quæ est Sprengelis interpretatio. Vides mutationem levissimam, sensum optimum, et sententiam insertam, quales frequentes in ipsis *Metamorphosibus*.

XI, 351, (Spreng. p. 77.) criticus contra Heinsium et Burmannum defendit versum

Pendet et ipse metu trepidat Trachinius heros.

Neutrum vidisse, *pendet* de Peleo dici, non de Ceyce; simul in sequentibus (379.) *et Pelea* fuisse, docet, scilicet ob brevem præcedentem *et* in *nec* mutatum esse. Me judice, utrumque vanum habebis. Sed malim sane, quod placuit Burmanno, *pendet et ipse*, *metu trepidus*, etc.

XI, 568, (Spreng. p. 79) criticus non absurde decernit *nigra fistula* pro *niger arcus*, ut sit

Ecce super medios fluctus nigra fistula aquarum
Rumpitur.

XI, 599, (Spreng. p. 82.) criticus, defendens versum

Garrula nec Procne stertentia pectora mulcet,

et verbum, quod res flagitet, quærens, aliud non reperit quam *excit* pro *mulcet;* decernit igitur, Ovidium scripsisse *excit*, gaudetque, versum a librario strangulatum, ab Heinsio sepultum, (is enim spurium judicavit,) sua opera servatum esse. Equidem damnatum nolo, in eoque assentior Sprengeli, credibile non reputanti, hirundinem hoc loco præteritam esse. Sed quis in Ovidio feret *pectora excit?* Mendum, si me audis, latet in *stertentia*, qua lectione versus et alias ineptus redditur, et sensu etiam a re adumbranda abhorret. Enimvero, hirundinis strepitus nihil habet, quod invitet somnum, et si habeat, non videmus, cur a sede Somni repellatur. Quid igitur voluit poeta? Nihil aliud, crederes, quam hirundinem ibi nullam esse. Sed hoc quum simpliciter dicere posset, doctius, ut solet, expressit, scilicet, Procnen ibi non mulcere pectora, non dormientis, puta; hoc enim absurdum foret; sed, si quid judico, sua pectora i. e. pectoris sui dolorem ob Ityn, a cujus cæde *maculis pectus signata cruentis* Virgilio, et *Ityn flebiliter gemens* Horatio, et *sub umbris fata gemens Ityli* Catullo dicitur; quibus locis aliisque, quas mitto, vides solenne poetis esse strepitum hirundinis ad ejus luctum referre, nempe perpetua querela semet accusantis doloremque gemitu mitigantis sive mulcentis. Hæc tenens, vide, an legamus *moerentia pectora.* Ego melius non reperi.

XI, 763, (Spreng. p. 60.) in loco:

Forsitan inferius non Hectore nomen haberet:
Quamvis est illum proles enixa Dymantis.
Æsacon umbrosa furtim peperisse sub Ida
Fertur Alexirhoe, gracili conata bicorni.

Criticus codicum lectionem retinens in *gracili*, et pro *conata* ex uno codie legens *cognata*, Alexirhoen, Æsaci matrem, sororem facit satyri macilenti; *cognata* enim, ut græcum

γυνή, dubium non esse, quin ea significatione usurpatum sit; bicornem autem (ut *bimembris* pro *centaurus*) satyrum, satyrosque recte macilentos dici, utpote capris forma non absimiles. Quæ si cuncta concedamus, usque tamen offendet *gracili;* nam, quod alias recte dicatur, necesse non est hic recte dictum esse. Possis haud absurde conjicere *generi* vel *genti bicorni; fauno bicorni* (sic aliquoties vocat Ovidius), *Pani* (qui vulgo cum Fauno confusus) *bicorni*, eodem sensu, scilicet, ut Æsaci mater satyris cognata dicatur, quod, vix dubito, quin poeta voluerit. Nam si Granico, aut omnino amne bicorni natam cum commentatoribus fingamus, non liquet, cur Alexirhoe genere inferior sit Hecuba, filia Dymantis. Sed videant alii, an et quomodo emendandum, anne locus integer et obscura vocabuli *bicorni* significatione defendendus.

XII, 433, (Spreng. p. 64.) criticus non male legit *loco Oleniden* (ab Oleno, X, 69.) pro suspecto *Phonoleniden.*

XII, 470, (Spreng. p. 85.) criticus redit ad pravam pietatem et verbum, cui tam eximia debemus, in loco:

Et te, Cæni, feram? Nam tu mihi foemina semper,
Tu mihi Cænis eris.

Ubi codex quidam *feriam* pro *feram.* Sine dubio, inquit, Ovidius scripsit *Te, Cæni, futuam.* Addit, corruptas lectiones malas post se trahere translationes, reprehendens Vossii: *Dir auch, Cænis, begegn' ich im Kampf?* rogansque, quo in lexico *ferre aliquem* hanc significationem habeat? etc. tædet enim ineptiarum.

XIII, 293, (Spreng. p. 87.) criticus emendat *diversas chelas* pro *diversasque urbes*, ut sit.

Pleïadasque Hyadasque immunemque æquoris Arcton,
Diversas Chelas, nitidumque Orionis ensem.

Fateor nec absurdam esse emendationem, et hominis laboriosi; fateor etiam, *urbes* non modo inter sidera, sed omnino hic ferri non posse. Si possent, priorem versum posteriorem facerem, ne urbes inter sidera essent. Cæterum minori mutatione legeres *diversasque canes.* Nam quod Sprengel *diversas* refert ad Scorpii et Cancri brachia diverse directa, nihil est; sed diversas recte diceres Chelas, quia sidera sic adpellata diversa sunt. Possis etiam alia non absurde conjicere, quod plerumque facillimum, ubi de vero desperandum. Audi tamen, quod præ cæteris placet.

Alia sidera, quam Homero memorata, Ovidium hic nominasse, eo minus crederem, quod ex illis, licet properans, nullum omisit; et concedes, opinor, temeritatis simile fuisse; hoc loco Homerum non religiose sequi. Enimvero, si quod sidus addidisset Ovidius, nonne vereri debebat, ne quis

diceret, hujus mentionem Homeri ætate absurdam aut ambiguam esse? At nihil impediebat, quominus aliud quid, ab Homero non expressum quidem, sed cujus notionem eum habuisse, incredibile non sit, Ovidius memoraret. Quum igitur hic et omnino doctrinæ ostendendæ avidus sit, et præsertim in cœli siderumque, qualis tum erat, quamque accurate tenebat, ratione, mirum non foret, si, sidera Homero memorata duobus includens, secundum versum rei mentione implerit, in qua sibi mire placent poetæ, mundi puta et hinc pendentem astrorum in Borealia et Australia divisionem. Jam, Pleiadas Hyadasque et Ursam esse Borealia nosti; Australium autem enumerationem ab Orione incipit Manilius, et, quos ille secutus; Nec minus antiquiorum exemplo eundem fiderum ducem fingit in versu:

Hoc duce per totum decurrunt sidera mundum.

Et rationem non absurdam vides, quoniam Orion et pulcherrimum cumque Ursa majore celebratissimum sidus est, et, circulum æquinoctialem secans, in utramque cœli plagam porrigitur. Hæc igitur considerans, comparato inprimis Ovidii loco, *Fast.* III, 105:

Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlanteas
Senserat, aut geminos esse sub axe polos?

Hoc comparato, suspicatus sum, in loco nobis emendando Ovidium, quum alterius tria, alterius unum sidus, Orionem, memoraret, pariter geminorum polorum sive cœli plagarum mentionem inseruisse: qui si vere hoc voluisset, cerneres jam, vix dubium esse, quin vera lectio sit *orbes*, quod a librario quodam pro *urbes* scriptum ésse, adnotat Sprengel, neque tamen congruere rei. Tu autem vide, an legamus *diversosque orbes nitidumque Orionis ensem*, anne nos, cum Sprengele una nihil dicamus.

XIII, 407, (Spreng. p. 88.) criticus, pro *angustum*, inquit, scribatur *angusto*; scilicet ut sit:

Longus in angusto, qua clauditur Hellespontus,

i. e. ubi desinit Hellespontus, qui in angusto longus, sive angustus idem et longus est. Quæ nec impugnare libet, nec cur probem ratio suppetit, in iis, quæ de Trojæ situ veteres tradidere, quærenda.

XIII, 441 (Spreng. p. 89.) nihil absurdius critico videtur quam *solebat*; poetam scripsisse *vovebat*; esse enim Homericum εὔχεσθαι, gloriari. Habes igitur versum

Hic subito, quantus, cum viveret, esse vovebat, etc.

Nempe Sprengel *quantus* refert ad corporis magnitudinem; hanc autem in adulto semper eandem esse. Tu contra vides, sensum esse : tantus adparuit Achilles, quantum se ostendere vivus solebet, i. e. quantum noveramus, non corpore, sed omnino. Neque magis *quantus* hic de corpore solo intelligendum, quam XII, 615, *de tam magno restat Achille nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam. Vovebat* et alias insulsum esse, non opus est demonstrare. Addit tamen criticus, eandem verbi significationem esse Ovid. *de* P. I, 7, 6, in *me tamen, excepto, qui precor esse tuus*, simul *tamen* mutat in *uno*. Cur? Ut, vocem male interpretans, hiatum insuper inducat.

XIII, 581, (Spreng. p. 90.) criticus pronuntiat: Ovidium scripsisse *æquora* pro *tempora*; ut sit

> Vidit, et ille color, quo matutina rubescunt
> Æquora, palluerat.

Sed enim, non mare tantum, verum tota terræ facies, qua nitor Auroræ funditur, rubescit; et quod tempora matutina dicuntur rubescere, simile est nostro : *der Morgen röthet sich*, simile latino *mane rubens*, *purpureum mane*, etc. Quare emendatione non opus est. Si opus esset, in paucis ponerem, quas Sprengel bonas aut tolerandas protulit. Addit, parem ob causam corruptum esse versum Ciceronis *hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto*; Ciceronem scripsisse *nocturno*. Potuit sane; sed non minus congruit *nocturna*. Denique, occasione ductus, *terras* in *æquor* mutans, et Heinsii *ut pariter* probans II, 116, pro vulgari *at pater*, *ut terras*, etc. legit

> Ut pariter æquor mundumque rubescere vidit.

Sed hic major critici temeritas. Enimvero, *ut pariter*, quamvis Heinsii, est utcunque emendantis. Si verum esset, crederes tamen, poetam potius scripsisse *ut pariter pelagus*, vitata brevi syllaba. Deinde, damus quidem Sprengeli, mare hic commode memorari potuisse; at non videmus, cur terras memoratas nolimus. Quid enim videt Sol? Non mare tantum et mundum (hoc loco cœlum), sed totam naturæ sive mundi faciem; nisi ponamus, Solem surgentem a terra longius abesse, quam ut eam cernere posset : quod, vides, quam foret ridiculum. Sed quid scripsit poeta? Accipe, si non verum, certe non absurdum. Primum, versus initium prorsus corruptum videtur; nam alii codices, ut regii duo, quos contulit Lemaire, habent *tum*, alii *at*. *Tum* quomodo scribentis errore corruptum sit in *at*, aut *at* quomodo in *tum*, quoniam non intelligimus, merito utramque lectionem rejiciemus. Porro, unde factum sit *tum*, vocem non reperio talem, qualem res flagitat. Quærendum igitur, unde factum sit *at*. Ponamus ergo, fuisse

ut; et quoniam *pater* jure suspectum ob sequens *Titan*, pro *pater* aliud quæramus, quod loco conveniat. Quid igitur, si poeta scripsisset :

Ut maria, ut (v. et) terras mundumque rubescere vidit,
Cornuaque extremæ velut evanescere Lunæ,
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.

Haberesne, quod ab eo scriptum velles, ut nihil offenderet? Illud quidem vides, semel corrupto *ut* in *at*, jam non potuisse manere *maria*; finge igitur substitutum *pater*; habebis, opinor, poeta dignum, et simile Virgiliano *maria ac terras cœlumque profundum*, conjunctis mundi partibus, quos simili in re conjungere, poetis inde ab Homero solenne.

XIII, 632, (Spreng. p. 93.) criticus decernit, Ovidium non *temploque* sed (ut IX, 279, *thalamoque animoque*, XIV, 78, *animoque domoque*) *animoque* scripsisse, ut sit

Hunc Anius, quo rege homines, antistete Phœbus
Rite colebantur, animoque domoque recepit.

Tu, ne critico accedos, confer Æn. III, 83. Si poeta voluisset *animoque*, poterat scribere, vitata brevi, *tectoque animoque*.

XIII, 716, (Spreng. p. 81.) criticus solita levitate decernit *vocalemque citra linguam dodonida quercum*, ut sit quercus vocalis sine lingua. Hanc miram emendationem confirmat *citra triones* (v. ad X, 446.) Potuisset ab ineptia cavere, si vel unum *chaonis arbos* (X, 90.) vel Virg. *Chaoniam glandem* meminisset. Scilicet ignorabat, quercum esse Chaoniæ, ut ebur Indiæ, et similia; adeoque poetam recte dixisse

Vocalemque sua terram dodonida quercu.

XIII, 794, (Spreng. p. 95.) pro *nobilior pomis* criticus non absurde legit *n. palmis*, quod habet codex Berolinensis. Gaudenti succurrit Horatii *palmaque nobilis*. Sed hæc alia nobilitas.

XIII, 816, (Spreng. p. 93.) plura emendat Sprengel in loco

Mollia fraga leges, ipsa autumnalia corna,
Prunaque non solum nigro liventia succo,
Verum etiam generosa, novasque imitantia ceras.

Primum, mollitiem, ait criticus, neminem hortulanum in fragis laudaturum, sed gustum; igitur Ovidium scripsisse *mellea*. Deinde pruna, quibus succus ater, non dari, et, si dentur, non livido colore ea, sed atro futura; igitur Ovidium scripsisse *Prunaque non solum solo liventia fuco*. Hic, ut sæpe, dubites, quid magis mireris, linguæ scientiam an acumen criticum. *Nigro succo liventia* pruna vides continuo esse pruna sylvestria, quibus opponuntur generosa ceram imi-

tantia (cf. Virg. *cerea pruna*). Ferendum saltem, si satis habuisset legere *nigro fuco*. Sed neque est, cur *succo*, et minus etiam, cur *mollia* mutetur. Quod autem hâc occasione in Æsopi fabula XXXVIII. criticus emendat *εἰς τῶν ἴσων ἴσας* pro *ἐκ τῶν ἴσων*; jam non diu quæres, cur tam infelix sit latina græcis vocabulis emendans. Cæterum in loco Ovidii, ne male ad corna referatur *nigro succo*, (sunt enim rubra. Cf. Virg. *lapidosa rubescere corna.*) subintellige *mollia leges*; nec minus ad *pruna* refer vel *mollia leges*, vel *leges* simpliciter.

XIII, 821, (Spreng. p. 95.) criticus, comparato XV, 17, *pleno quæ fertis ubere nectar*, et Virg. *distentas lacte capellas*, decernit *nectare* pro *cruribus* (v. 826.) in loco

Hoc pecus omne meum est multæ quoque vallibus errant,
Multas sylva tegit, multæ stabulantur in antris :
Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.
Pauperis est numerare pecus : de laudibus harum
Nil mihi credideris : præsens potes ipsa videre,
Ut vix sustineant distentum cruribus uber.

Hiatum causam fuisse, corruptæ vocis; hunc librarium vehementius horruisse, quam ineptiam. Sic criticus. Quem cum *nectare* mittentes, quid poeta scripserit, paulo aliter inquiramus. *Cruribus*, varie expositum, jure suspectum mansit; nam nec, pro *inter crura* dictum esse, credibile videtur, et melius quid adferatur, non video. Finge igitur Ovidium scripsisse

— Præsens potes ipsa videre,
Ut vix circumeant, distentum matribus uber.

Non erit, cur quidquam reprehendas. Sunt enim et manifesto oves matres (cf. Virg. *excretos prohibent a matribus hœdos*) quas hic cyclops laudat ipsum secutas (v. 781.), et in colle sedenti proxime pascentes, et quomodo magis eas aptiusve Galateæ, quam præsentem fingit, laudaret, non facile dixeris. Jam, pro *matribus* lege *cruribus*. Ne sic quidem aliud carpes, quam *cruribus*, non quod ipsa vox offendat; sed casus non convenit. Quid hinc colligendum? *primum*, sive legas *matribus*, sive *cruribus*, non esse damnandum *circumeant*, vulgarem codicum multorum lectionem, in quibus regius Lemairii alter *circumeant*, alter *circueant*. Quid enim damnetur, quo ad sensum melius reperire nequeas? Deinde colliges, falsum esse *sustineant*, ab Heinsio e quinque codicibus et editionibus nonnullis receptum; falsum, quia litteris nimium discrepat a *circumeant*, neque adeo conjicere licet pro *sustineant* librarium scripsisse *circumeant*. Sed falsum luculentius arguit, quod nemini sano in mentem venire poterat in phrasi clara *ut vix sustineant uber* pro *sustineant* scri-

bere *circumeant*. Contra, quid vellet *circumeant*, quamvis vera lectio, intelligere nemo poterat, nisi phrasin ita, ut nos, distinguens jungendo *videre distentum uber*; quo sensus est: potes ipsa videre uber distentum (ita), ut vix circumeant. Junge enim *circumeant uber*, ut sit *p. i. v.*, *ut v. circumeant d. c. u.*; vitiosum prorsus videbitur *circumeant*. Habes igitur causam, cur mutari potuerit *circumeant*, at cur *sustineant*, non habes. Retinebis ergo primum *circumeant*; deinde vero, ut nihil offendat, me suadente, pro *cruribus* leges *matribus*, quod et aptissimum est, et litteris non nimium discrepans a *cruribus*, semel autem mutato *circumeant* in *sustineant*, vides, manere *matribus* non potuisse, quum jam male jungeretur *ut vix sustineant distentum matribus uber*. Si tamen vis servare utcunque *cruribus*, hypallagen facito, ut *distentum cruribus uber* sit pro *crura ubere distenta*.

XIV, 59, (Spreng. p. 64.) Habes nobilissimam, et qua inprimis criticus gloriatur, emendationem loci a multis varie tentati:

Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo,
Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris
Adspicit; ac primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque
Ora proterva canum. Sed quos fugit, attrahit una.
Et corpus quærens femorum crurumque pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.
Statque canum rabies, subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis, uteroque exstante coercet.

In *statque*, quantum vidi, consentiunt codices; pro *coercet* duo exhibent *cohæret*. Hoc tenens, facile concedes, *cohæret* veræ lectioni esse substitutum ab eo, qui verbi vim non intelligeret; deinde *statque* non esse mutandum, nisi, eo manente, probabilis sensus negetur. Si nihil mutatum vis, sensus erit: Scylla stat, canum rabies, i. e. in canes rabidas parte corporis mutata; quod durum esse fateor, nec satis dignum poeta. Minus tamen probo legentem *rabie*, ut sit: stat canum rabie, pro, stat rabidis canibus nixa; quippe hoc æque durum atque insolens. Commodius ad sensum simul et orationem probabilem conjicies: *statque*, *canum rabiem* (i. e. canes rabidas), *subjectaque* (sibi) *terga ferarum* — *coercens*; nam *canum rabiem* pro *canes rabidas* nihil offendit, et *coercens* idonee, prorsusque ut XI, 78, *radix—exultantem coercet*, interpretaberis *cohibens* vel *retinens*, ut sensus sit: statque, canes rabidas, subjectaque sibi ferarum terga inguinibus et utero cohibens, ut pote illis partibus inhærentia. Vides *rabiem* pro *rabies* levem mutationem, et, si fuisset *rabiem*, hoc semel mutato in *rabies*, necessario etiam pro *coercens* fuisse legendum *coercet*; vides etiam, in phrasi

statque canum rabiem — coercens, quum esset bona quidem, sed sensu non statim obvio, facile scribi potuisse *rabies* ab eo, qui non intelligeret *rabiem* pendere a *coercens*. Habes corrupti rationem, si quid judico, non ineptam, et cum levi mutatione sensum optimum. Si prorsus mutatum vis *statque*, me suadente, leges — *invenit illis atque canum rabiem; subjectaque terga ferarum* (i. e. canum) — *coercet*. Prius tamen malo.

Nunc, quid post annos, ut ipse fatetur, extuderit Sprengelis acumen, accipe. Legit *illis; atque canum humeri — cohærent* (quod pro *cohæret* ab Heinsio in textum receptum ut certissimam emendationem probat.) Noverat enim criticus xiii, 914, *cæsariemque, humeros subjectaque terga tegentem*; sic, postquam ei succurrit, hic quoque metro male emendato mendum deberi, ante desperans, continuo vidit, Ovidium scripsisse *humeri*, jamque non *statque*, sed *atque* legendum esse. Atqui, tam longo sudore ut nihil profectum esse, mecum sentias, sic reputa. Primum junctura *atque*, si legimus, *cerbereos rictus pro partibus invenit illis; atque canum humeri — cohærent* : hæc junctura, inquam, talis est, nempe languens et inepta, ut Ovidio non sit sine necessitate tribuenda. Sed leve hoc esse concedamus. Deinde hiatum *canum humeri*, non dubito, quin respuant docti; sed concedamus hiatus amanti. Deinde prorsus alia est ratio in *cæsariem humeros* (hominis scilicet) *subjectaque terga tegentem*, quam in *canum humeri subjectaque terga;* sed et hoc leve ponamus. Quid ergo restat, quo in fumos abeat Sprengelianæ emendationis gloria? Nempe illud, quod, ut dixi, *cohæret*, unde emendatum *cohærent*, falsa est lectio. Cur? Quia, si vera esset, ratio nulla datur, cur quisquam eam mutaverit in *coercet*, quæ vera est, certe quoad verbum, lectio. Enimvero, nemo non continuo vidisset, quid sit *terga inguinibus uteroque* cohærent, contra obscurum erat *terga coercet*. Quare, si *coercet* scriptum fingas pro *cohæret*, necesse est, emendatorem id egisse, ut locum perspicuum obscurum redderet. Atqui hoc fingere non licet. Colliges igitur, Sprengelis emendationem *atque cohærent*, secundum ipsius quidem interpretationem, nullam esse; quod autem *statque* in *atque* mutavit, est, cur ei gratiam referas, si propositam supra emendationem probes, qua *canum rabiem* retulimus ad *invenit*.

XIV, 118, (Spreng. p. 96.) in loco

— Didicit quoque jura locorum,
Quæque novis essent adeunda pericula bellis,

criticus legit *quoque*, *quique labores*, *quæque* etc., ex *Æn.* vi, 893, *feratque laborem*. Tu confer ejusdem *secre-*

tosque pios, his dantem jura Catonem, et, quod magis ad rem, a Sibylla et Anchise narrata in lib. VI. Æn. Sic persuasum habebis, jura in hoc Ovidii loco esse jura inferorum, consueto poetarum more, regna et hinc jura legesque apud inferos fingentium Anchises postremo de bellis instantibus filium docet, quem locum, brevem apud Virgilium, uno versu complexus est Ovidius. Si conjecturis indulgendum, possis emendare *fata suorum;* sed vana in sanis medicina.

XIV, 305, (Spreng. p. 97.) non male defendit codicis Berolinensis lectionem *illis* pro *illum*.

XIV, 407, (Spreng. p. 97.) locus est, una menda inducta, ut solet, pluribus contaminatus:

Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos,
Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis,
Et lapides visi mugitus edere raucos,
Et latrare canes, et humus serpentibus atris
Squalere, et tenues animæ volitare videntur.
Attonitum monstris vulgus pavet. Illa paventum
Ora venenata tetigit mirantia virga, etc.

Hic Sprengel decernit *palluere arva* pro *palluit arbos*. *Arbos* defendi potest, sed displicet sane; at magis criticus, cujus vocabulo si poeta uti voluisset, poterat scribere *vicinum palluit arvum*, ne quid diceret, cujus exemplum nullum exstare in ejus carminibus, puto. Sed si hic probes criticum, in sequentibus jam sui simillimum reperies. Nam *arvis*, quæ induxit, utens, non dubitat, pro *visi* scriptum esse *sacri;* arva enim discerni lapidibus, eosque esse sacros. Quæ refutare tædet, utpote vana, ut nihil supra. Sed medicina eget locus. Accipe igitur quid censeam. Codices permulti habent *volitare silentum:* quam lectionem, ut, invito Burmanno, sed probante Heinsio, veram esse intelligas, reputa, quam vulgaris sit illius verbi in re simili usus (cf. e *Metam. vasti silentia regni; rex silentum; jura silentibus reddidit;* et simillimum huic loco *umbras silentum erravisse.*) Fateberis omnia tentanda, ne *silentum* damnetur. Cur autem damnatur? Quia versus sequens in *paventum* desinit, quale homœoteleuton nec ipse credo Ovidium admisisse; si tamen admisisset, non ideo scriberem *videntur*, quod ob præcedens *visi*, non modo vocis repetitione, sed æque offendit temporis diversitate; vides enim, tempus perfectum flagitari. Retine igitur *silentum*, quo sanius nihil in Ovidio; sed, ut homœoteleuton tollatur, in versu sequenti lege *paventes* pro *paventum*. Cur? Quia *paventes ora tetigit* idem ac *paventum ora tetigit*, et poetis usitatum Græcorum more dicere *tangere aliquem os* pro *alicujus os*, *vulnerare aliquem pectus*, pro *alicujus pectus*, quale est notum illud ludimagistris *os humerosque deo similis*. Cf. Æn. IV, 589, *pectus percussa*, et, 590,

abscissa comas, unde activo modo diceres *abscindere aliquem comas*, simillimum nostro loco.

XIV, 772, (Spreng. p. 99.) Sprengel, diu frustra conatus, invenit *nutus* pro *miles*, ut sit

Proximus Ausonias injusti nutus Amuli
Rexit opes.

Satis idonee, si non offenderet *proximus nutus*. Quis enim e. g. dicet: proximus ab Augusto Romam rexit nutus Tiberii? At quid scripsit poeta? Nam *miles* ferendum non puto. Si audaci, quales non amo, conjecturæ veniam des, suadeam *injustæ mentis Amulius*. Primum, quia *proximus* vix aliud patitur quam nominativum casum, et maxime ipsius regis nomen, deinde quia non incredibilis mutatio *mentis* in *miles*; deinde, quia librarius prosodiæ parum peritus ignorare potuit *Amulius* posse fieri trisyllabum, sicque corrigere debuit *Amuli*, quo facto, præcedens etiam mutari, necesse fuit; denique, quia *injustus* haud dubie, quoad adjectivum, recte habet, et *injustæ mentis* bene congruit cum loco *Fast.* IV, 53, ubi *dirum* Amulium poeta, et III, 49, ubi *contemptorem æqui* vocat. Dixi, quo melius non habeo.

XV, 48, (Spreng. p. 101.) ubi Gesnerus, male, opinor, parentem Amphitryoniadæ facit Jovem, criticus pro *parenti* legit *patrono*, ut habeamus

— Grates agit illepatrono
Amphitryoniadæ.

Nimirum, advocati officium Myscelo Herculem præstitisse; ac forte monachum timuisse, ne, si patronus sit Hercules, sanctis adnumeretur, aut nefas duxisse, si Herculi titulus tribuatur proprius catholicorum sanctis. Ego monachos fuisse ineptos multos novi; sed succurrit illud Ciceronis : *sed*, *qui magis*, *quam Phormio*, *deliraret*, *vidisse neminem*. Tu levi mutatione malis forte ad sensum optime legere *potenti*.

XV, 60, (Spreng. p. 102.) criticus decernit *dominum* pro *dominos*; hoc stolidum correxisse, metri vitium esse, somniantem. Tu, me auctore, nihil mutabis, ne sine ulla necessitate inducatur *dominum odioque*, quale, nimis dubito, an ullus Ovidii versus exhibeat.

XV, 154, (Spreng. p. 103.) criticus legit *quid styga*, *quid* tenebras, *falsique piacula mundi*, *materiem vatum*, *et nomina vana timetis*. Cur sic? Ut hiatus, qualis in præcedenti nota, recurrat.

XV, 192, (Spreng. p. 104.) criticus contendit, poetam scripsisse *ipse deique oculus* pro *ipse dei clypeus*. Nempe solem dici Jovis oculum ap Macrobium; clypeo autem non egere Deum; sed petitum esse e XIII, 852. Tanto acumine

non vidit rem manifestam, non agi de summi numinis, sed de Phœbi clypeo, cujus nomen repetere noluit poeta in versu præcedenti occurrens. Possis conjicere *vultus* et alia; nam insolens profecto videtur Phœbi clypeus pro orbe solis. Sed quis ausit falsum pronuntiare, quod, insolentius modo dictum, codicum consensu nititur?

XV, 229, (Spreng. p. 105.) Sprengel, ad græca rediens, Milonis lacertos fingit *athletas* pro *inanes*; ut sit *Fletque Milon senior, quum spectat athletas — lacertos.* Cur? Ut sanæ, certe ferendæ incredibilis lectio substituatur.

XV, 235, (Spreng. p. 106.) criticus, ad hiatum reversus, in loco:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

pro *dentibus ævi* decernit *dente iniquo*. Credam, modo alterum, præter quæ ipse induxit, talis hiatus exemplum in Ovidio reperiat. Cæterum jure miremur, commentatores, in iisque Gierigium, et, postremum, quantum scio, editorem, Lemairium verba *dentibus ævi* non suspecta habere, sed explicare tantum; quæ profecto, si sana essent, explicatione non egerent. Enimvero, indignum Ovidio ducimus dixisse, tempus et vetustatem omnia dentibus ævi destruere. Sed quid scripserit, præter Sprengelem, nemo facile, se reperisse, fidenter pronuntiabit. Ne tamen nihil adferamus: possis suspicari *dente sub æquo*; nam et singularis, quod recte criticus animadvertit, usitatius in re simili, et *sub dente* satis defendet Virgilianum *tremerent sub dentibus artus* (ubi perinde nonnihil offendit præcedens *membra*); *æquo* autem ad sensum plane congruens diceres, comparato Horatii *mors æquo pulsat pede*; denique rare occurrens vocabuli significatio hominem fugere parum sive peritum sive attentum potuit, et vulgarem significationem vides a sententia poetæ prorsus abhorrere. Sed, quo magis desperandum putes, possis etiam conjicere *vitianteque dente subesa* (cf. XI, 783, *e scopulo, quem rauca subederat unda*). Quod tamen minus placet, utpote, propter præcedens *edax*, pariter repetitione nonnihil offendens. Adde quod participium vix aut raro usurpatum.

XV, 311, (Spreng. p. 107.) criticus emendat *admotum*; deinde, merito reprehensam emendationem fatetur a viro docto; esse enim hypallagen. Quod an sit, et, an hypallagen hac occasione recte definierit Sprengel, mitto inquirere. Nos ad illam figuram supra in *distentum cruribus uber* recurrimus, et infra ejusdem ope vulgatam lectionem contra criticum tuebimur. Locus in Gierigiana editione sic legitur:

Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum Luna recessit in orbes.

Vides constructionem nullo sensu, nisi aut *accendere* accipias pro *accendi*, quod, nescio, qui liceat, aut Athamantis sit fontis, de quo agitur, nomen; nam ad *Luna* referre *narratur*, ridiculum foret. At credibile non videtur, adeo notum fuisse fontem, ut satis esset nominare, quo lector poetam intelligeret, neque aliud quæreret in vocabulo *Athamantis*. Deinde *Athamantis aquis accendit* est, quasi dicas *fons aquis accendit;* quod satis inepte. Gierigius tamen nihil adfert, nisi locum Sotionis, quo discimus ἐν Ἀθάμασι, et Plinii, quo discimus in Epiro fontem illum fuisse; Epirum autem incoluere Athamanes. Adde, quod aliæ editiones habent *Athamanis.* Quid igitur simplicius, quam accedere iis, qui suspicantur *Athamanes*, in quibus Sprengel? Ut sensus sit : narratur, Athamanes accendere lignum admotis aquis, vel admotum aquis. Cæterum vide, an necesse sit metri causa aut *Athamanas* legere aut *narrantur.* Cf. Ovidii *insula tigres habet.* Si ita prorsus nolis, non absurde, sed majori mutatione legas *admotas Athamantis aquas accendere lignum*, *narratur.*

XV, 337, (Spreng. p. 109.) Sprengel decernit, *undarum* ob sequens *ventisque resistunt* falsum esse : scribendum *ventorum*; deinde-sed summam sapientiæ audi, ut scias nihil posse infelicius cogitari. Pro *undarum sparsas Symplegadas elisarum* criticus legit *ventorum actas Symplegadas in collisum.* Quæris, quid ipse? Locum levissima mutatione indigere. Lege enim *petras Symplegadas*, (nam *planctas*, licet æque ad sequens *immotæ*, alias minus placet,) et habebis verum quidem, sed non cuivis intellectum, ideoque mutatum. Ne dubites, confer Apoll. Rhod. I, 2, πέτρας κυανέας; et, si hoc non satis, Strabonem et Plinium. Colliges, Symplegadas petras a latinis etiam insulas illas esse dictas, certe dici eo rectius potuisse, quoniam petræ vocabulo in similibus utuntur. Probato autem *petras*, ut sensum eruas optimum, junge : Argo timuit petras Symplegadas concursibus undarum elisarum; quo facto, vides sensum apertum satis, scilicet : Argo timuit insulas in concursu undarum elisarum; sed aptius fuisset : Argo timuit undas elisas in concursu insularum. Vides igitur esse hypallagen; poetam nempe, quum aliter versum conficere vix aut nequaquam posset, scripsisse *timuit concursibus undarum elisarum petras Symplegadas* pro *timuit concursibus petrarum Symplegadum undas elisas.* De voce *elisas* confer Virg. *spumam elisam*, de re confer Apoll. Rhod. II, 565. sqq.

XV, 500, (Spreng. p. 111.) Sprengel versum ab Heinsio, a Lemairio etiam damnatum defendit, in loco

— Me Pasiphaeïa quondam
Tentatum frustra patrium temerasse cubile,
(Quod voluit, finxit voluisse, et crimine verso)
Indiciine metu magis offensane repulsæ,
Arguit.

Scribendum modo, inquit, *privo* pro *verso*. Probat etiam *temerare* pro *temerasse*, idque multorum codicum ; sed male refert ad *tentatum*. Ego, probato *temerare*, et longe rejecto *privo*, cur quidquam præterea mutem, causam non invenio. Sensus enim sic habet : me Pasiphaeïa quondam, frustra tentatum (postquam me frustra tentavit), patriam cubile temerare, quod ipsa voluit, voluisse finxit, et, crimine verso (suum in me crimen vertens), arguit (accusavit), indiciine metu magis (subint. incertum est), an offensa repulsæ. Vides, mulierem dici finxisse, (quod usitatissimum de falsa accusatione,) quo juvenem accusaret, eum voluisse patris lectum temerare, quod ipsa voluerat, et, crimine suo in innocentem converso, arguisse i. e. accusasse eum apud patrem. Scilicet *temerare* non pendet ab *arguit*, nec a *tentatum*, sed a *voluisse*, quod ipsum pendet a *finxit* : *finxit, me voluisse temerare.* Sic vides veram lectionem esse *temerare ; temerasse* autem esse substitutum ab eo, qui jungeret *temerare arguit*, quæ constructio manifesto perfectum tempus flagitabat. De ellipsi confer Tac. *Ann.* 1, 13, *casu, an manibus ejus impeditus ;* ubi subintelligitur *incertum est* aut *dubium est.* Vides sensum apertum : crimine verso, arguit (accusavit) me, incertum, an metu potius, ne rem indicarem patri, anne, offensa repulsæ, i. e. ira, quod me frustra tentaverat, incensa. Habes sensum optimum et orationis distinctione defensum, ut nihil offendat, adeoque codicum genuina lectione versum a suspicione liberatum.

Si quid tribuis meis emendationibus, multis exemplis intelliges, causam mendarum et suspicionis in poetis omnium forte frequentissimam esse falsam orationis distinctionem. In hac igitur constituenda inprimis laborandum est critico, nec minus, ne sana suspiciat, quam ut depravata restituat. Sed enim, quamvis ab orationis distinctione nulla fere emendatio separari queat, plerique, vel profundiorem ejus investigationem negligentes, vel reconditam non assequentes rationem, quæ levissima aut nulla mutatione indigent, ea non emendare aut intelligere, sed magis magisque velle implicare videntur. Quid enim in loco supra memorato *potes ipsa videre ut vix circumeant distentum cruribus uber*, simplicius erat, quam jungere *videre* et *uber*, non *circumeant* et *uber*? Atqui simplicissima res omnium, quantum vidi, criticorum acumen fugit : sic locus, semel a librario, inducto *sustineant*, corruptus, qui veram lectionem idonea interpretatione revocaret, neminem reperit.

XV, 653, (Spreng. p. 112.) criticus legit *in ære* (scil. in numis) pro *in æde*, ut habeas

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum; sed qualis in *ære*
Esse solet.

Sensus haud dubie est : deus visus est Romano, non serpentis forma, qualis postero die adparuit, sed qualis in æde, i. e. qualis vulgo cernitur,. forma, quam describit poeta. Serpentis species nimium terruisset Romanum; quam deus, siquid judico, hucusqûe ne habuerat quidem, certe non serpentis imagine, sed cum serpente baculum ambiente et vulgo et Romæ etiam in æde sua repræsentabatur. Igitur *in ære* suum sibi habeat Sprengel.

XV, 739, (Spreng. p. 115.) locus est critices ratione memorabilis :

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
(Insula nomen habet,) laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

Hic Gierigium carpit Sprengel, quod egregiam vocet descriptionem, quam nemo intelligat. Ego de sensu non laboro; est enim manifestus; cæterum non modo non egregiam, sed poeta prorsus indignam judico. Quis autem nescit, quam faciles ad laudandum sint veterum interpretes, præsertim, ubi nil corrigendum vident, neque tamen sine nota prætermittere locum volunt? Enimvero, quid tandem aut pulchre aut apte dictum in : *scinditur in partes amnis, laterumque a parte duorum porrigit æquales lacertos?* Ineptissimum, opinor, fateberis. At quid Sprengel? Re jam desperata, vidit in Adleri *Romæ descriptione* insulam in actis martyrum adpellari Lycaoniam; sic decrevit : *amnis, porgens æquales media tellure lacertos; insula nomen habet Arctorum a patre duorum* (scil. a Lycaone, patre Callistus sive Ursæ majoris, et avo Arcadis sive, ut Sprengel Bodeo credit, Ursæ minoris.) Vides audacem emendationem, sed sudore non contemnendam : quo tamen hic quoque nil expeditum sic intelliges. Primum nullius veterum testimonio constat, insulam Tiberinam ante vel ipso Ovidii ævo jam Lycaoniam esse dictam. Sic liceat adfirmare, donec contrarium quis doceat. Jovis autem Lycaonii templum, a quo dictam antiquarii narrant, Ovidii ætate in insula fuisse, ut negare non ausim, ita non credam, donec argumenta dubitare vetent, quæ frustra interim quæsivi. Certum tamen manet, Lycaoniam esse, a quocunque demum tempore aut causa, adpellatam. Restat igitur, ut Sprengel fidem historiæ emendationi conciliet, quam alioquin, propter nimiam textus mutationem nulla codicum auctoritate niten-

tem, nemo feret, eo quidem minus, quoniam et inepte patrem duorum Arctorum Jovem poeta vocasset, alterius patrem, alterius avum, et idem Booten quidem (*Fast* II, 190.), quem alias Icarum, (*Met.* (X, 450.), fecit Arcadem, Callistus filium, at nusquam hunc Ursam minorem. Hæc contra Sprengelis conjecturam. Nunc, ipse quam repererim, accipe, audacem sane et hanc, sed, si falsa, non inutilem forte olim locum tentaturo, quem corruptum prorsus duco.

Scis, insulam Tiberinam in navis speciem esse lateribus ædificatam. Nota res est; ita tamen, ut latere plerosque librarios potuerit, imo debuerit. Quid ergo? An credibile videtur, Ovidium hujus rei nec alias mentionem ullam, neque hoc loco, ubi insulæ formam studiose describit, fecisse? Mireris profecto, rem tam singularem, tam celebratam ab eo præteritam, quo loco minime exspectes. Quidni ergo scrutemur, an navis mentio corrupta quadam voce occultetur, quæ et suspecta merito sit, et alias mentionem illam quærenti faveat? Atqui talis est in hocce loco vox *parte.* Enimvero, eadem nec tolerari, ut monuimus, potest, et, quod commode substituatur, aliud non reperio nisi *navis* aut *puppis*, forma propius accedens ad *parte*, et poetis usitatissimum pro nave. Fingamus enim, poetam scripsisse *laterumque a puppe duorum*, fateberis, jam nihil offendere, nisi phraseos constructionem, pro *parte* autem esse id substitutum, quod mirifice congruat rei describendæ. Sensum porro habes non minus apertum, quam manente *parte*, videlicet : amnis a puppe duorum laterum æquales lacertos porrigit, i. e. brachia amnis ab utroque latere æqualia sunt; unde pendet Plutarchi insulæ epitheton μεσοποταμία, et Ovidii *media tellure.* Sed in sensu manifesto insolens manet dictio; par enim erat dicere : amnis a duobus lateribus puppis porrigit æquales lacertos, non : a puppe duorum laterum. Quid hinc, nisi hypallagen esse, qualem supra vidimus, poetamque ob eandem causam, quia versus hoc non reciperet, pro *a duobus lateribus puppis* scripsisse *a puppe duorum laterum*?

Habes locum a critici incredibili mutatione satis defensum. Nam quod ille absurdum dicit *insula nomen habet*, nisi addatur, unde habeat, non tanti est. Quid enim voluit poeta? Nihil aliud, nisi locum insulam simpliciter appellari; et vero sic appellatum esse, scriptorum testimoniis constat. Optime ad rem Livii XXXIV, 53, *in insula Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit.* Nempe, ut pars quædam Syracusarum, sic illa pars Romæ insula simpliciter vulgo adpellabatur, quamvis eadem Æsculapii, cui sacra erat, dicta (Suet. *Claud.* 25.), templaque et alia etiam memoranda habuerit, unde cognomen trahere potuisset; nec dubium est, quin plura traxerit; et a flumine tiberinam sæpe vocari, par erat. Quod

tantia (cf. Virg. *cerea pruna*). Ferendum saltem, si satis habuisset legere *nigro fuco.* Sed neque est, cur *succo*, et minus etiam, cur *mollia* mutetur. Quod autem hac occasione in Æsopi fabula XXXVIII. criticus emendat εἰς τῶν ἴσων ἴσας pro ἐκ τῶν ἴσων; jam non diu quæres, cur tam infelix sit latina græcis vocabulis emendans. Cæterum in loco Ovidii, ne male ad corna referatur *nigro succo*, (sunt enim rubra. Cf. Virg. *lapidosa rubescere corna.*) subintellige *mollia leges*; nec minus ad *pruna* refer vel *mollia leges*, vel *leges* simpliciter.

XIII, 821, (Spreng. p. 95.) criticus, comparato XV, 17, *pleno quæ fertis ubere nectar*, et Virg. *distentas lacte capellas*, decernit *nectare* pro *cruribus* (v. 826.) in loco

Hoc pecus omne meum est multæ quoque vallibus errant,
Multas sylva tegit, multæ stabulantur in antris:
Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.
Pauperis est numerare pecus: de laudibus harum
Nil mihi credideris: præsens potes ipsa videre,
Ut vix sustineant distentum cruribus uber.

Hiatum causam fuisse, corruptæ vocis; hunc librarium vehementius horruisse, quam ineptiam. Sic criticus. Quem cum *nectare* mittentes, quid poeta scripserit, paulo aliter inquiramus. *Cruribus*, varie expositum, jure suspectum mansit; nam nec, pro *inter crura* dictum esse, credibile videtur, et melius quid adferatur, non video. Finge igitur Ovidium scripsisse

— Præsens potes ipsa videre,
Ut vix circumeant, distentum matribus uber.

Non erit, cur quidquam reprehendas. Sunt enim et manifesto oves matres (cf. Virg. *excretos prohibent a matribus hœdos*) quas hic cyclops laudat ipsum secutas (v. 781.), et in colle sedenti proxime pascentes, et quomodo magis eas aptiusve Galateæ, quam præsentem fingit, laudaret, non facile dixeris. Jam, pro *matribus* lege *cruribus.* Ne sic quidem aliud carpes, quam *cruribus*, non quod ipsa vox offendat; sed casus non convenit. Quid hinc colligendum? *primum*, sive legas *matribus*, sive *cruribus*, non esse damnandum *circumeant*, vulgarem codicum multorum lectionem, in quibus regius Lemairii alter *circumeant*, alter *circueant.* Quid enim damnetur, quo ad sensum melius reperire nequeas? Deinde colliges, falsum esse *sustineant*, ab Heinsio e quinque codicibus et editionibus nonnullis receptum; falsum, quia litteris nimium discrepat a *circumeant*, neque adeo conjicere licet pro *sustineant* librarium scripsisse *circumeant.* Sed falsum luculentius arguit, quod nemini sano in mentem venire poterat in phrasi clara *ut vix sustineant uber* pro *sustineant* scri-

bere *circumeant*. Contra, quid vellet *circumeant*, quamvis vera lectio, intelligere nemo poterat, nisi phrasin ita, ut nos, distinguens jungendo *videre distentum uber;* quo sensus est: potes ipsa videre uber distentum (ita), ut vix circumeant. Junge enim *circumeant uber*, ut sit *p. i. v.*, *ut v. circumeant d. c. u.;* vitiosum prorsus videbitur *circumeant*. Habes igitur causam, cur mutari potuerit *circumeant*, at cur *sustineant*, non habes. Retinebis ergo primum *circumeant;* deinde vero, ut nihil offendat, me suadente, pro *cruribus* leges *matribus*, quod et aptissimum est, et litteris non nimium discrepans a *cruribus*, semel autem mutato *circumeant* in *sustineant*, vides, manere *matribus* non potuisse, quum jam male jungeretur *ut vix sustineant distentum matribus uber*. Si tamen vis servare utcunque *cruribus*, hypallagen facito, ut *distentum cruribus uber* sit pro *crura ubere distenta*.

XIV, 59, (Spreng. p. 64.) Habes nobilissimam, et qua inprimis criticus gloriatur, emendationem loci a multis varie tentati:

Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo,
Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris
Adspicit; ac primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque
Ora proterva canum. Sed quos fugit, attrahit una.
Et corpus quærens femorum crurumque pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.
Statque canum rabies, subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis, uteroque exstante coercet.

In *statque*, quantum vidi, consentiunt codices; pro *coercet* duo exhibent *cohæret*. Hoc tenens, facile concedes, *cohæret* veræ lectioni esse substitutum ab eo, qui verbi vim non intelligeret; deinde *statque* non esse mutandum, nisi, eo manente, probabilis sensus negetur. Si nihil mutatum vis, sensus erit: Scylla stat, canum rabies, i. e. in canes rabidas parte corporis mutata; quod durum esse fateor, nec satis dignum poeta. Minus tamen probo legentem *rabie*, ut sit: stat canum rabie, pro, stat rabidis canibus nixa; quippe hoc æque durum atque insolens. Commodius ad sensum simul et orationem probabilem conjicies: *statque*, *canum rabiem* (i. e. canes rabidas), *subjectaque* (sibi) *terga ferarum* — *coercens;* nam *canum rabiem* pro *canes rabidas* nihil offendit, et *coercens* idonee, prorsusque ut XI, 78, *radix—exultantem coercet*, interpretaberis *cohibens* vel *retinens*, ut sensus sit: statque, canes rabidas, subjectaque sibi ferarum terga inguinibus et utero cohibens, ut pote illis partibus inhærentia. Vides *rabiem* pro *rabies* levem mutationem, et, si fuisset *rabiem*, hoc semel mutato in *rabies*, necessario etiam pro *coercens* fuisse legendum *coercet;* vides etiam, in phrasi

statque canum rabiem — coercens, quum esset bona quidem, sed sensu non statim obvio, facile scribi potuisse *rabies* ab eo, qui non intelligeret *rabiem* pendere a *coercens*. Habes corrupti rationem, si quid judico, non ineptam, et cum levi mutatione sensum optimum. Si prorsus mutatum vis *statque*, me suadente, leges — *invenit illis atque canum rabiem; subjectaque terga ferarum* (i. e. canum) — *coercet*. Prius tamen malo.

Nunc, quid post annos, ut ipse fatetur, extuderit Sprengelis acumen, accipe. Legit *illis; atque canum humeri — cohærent* (quod pro *cohæret* ab Heinsio in textum receptum ut certissimam emendationem probat.) Noverat enim criticus xııı, 914, *cæsariemque, humeros subjectaque terga tegentem*; sic, postquam ei succurrit, hic quoque metro male emendato mendum deberi, ante desperans, continuo vidit, Ovidium scripsisse *humeri*, jamque non *statque*, sed *atque* legendum esse. Atqui, tam longo sudore ut nihil profectum esse, mecum sentias, sic reputa. Primum junctura *atque*, si legimus, *cerbereos rictus pro partibus invenit illis; atque canum humeri — cohærent* : hæc junctura, inquam, talis est, nempe languens et inepta, ut Ovidio non sit sine necessitate tribuenda. Sed leve hoc esse concedamus. Deinde hiatum *canum humeri*, non dubito, quin respuant docti; sed concedamus hiatus amanti. Deinde prorsus alia est ratio in *cæsariem humeros* (hominis scilicet) *subjectaque terga tegentem*, quam in *canum humeri subjectaque terga*; sed et hoc leve ponamus. Quid ergo restat, quo in fumos abeat Sprengelianæ emendationis gloria? Nempe illud, quod, ut dixi, *cohæret*, unde emendatum *cohærent*, falsa est lectio. Cur? Quia, si vera esset, ratio nulla datur, cur quisquam eam mutaverit in *coercet*, quæ vera est, certe quoad verbum, lectio. Enimvero, nemo non continuo vidisset, quid sit *terga inguinibus uteroque* cohærent, contra obscurum erat *terga coercet*. Quare, si *coercet* scriptum fingas pro *cohæret*, necesse est, emendatorem id egisse, ut locum perspicuum obscurum redderet. Atqui hoc fingere non licet. Colliges igitur, Sprengelis emendationem *atque cohærent*, secundum ipsius quidem interpretationem, nullam esse; quod autem *statque* in *atque* mutavit, est, cur ei gratiam referas, si propositam supra emendationem probes, qua *canum rabiem* retulimus ad *invenit*.

XIV, 118, (Spreng. p. 96.) in loco

— Didicit quoque jura locorum,
Quæque novis essent adeunda pericula bellis,

criticus legit *quoque*, *quique labores*, *quæque* etc., ex *Æn.* vı, 893, *feratque laborem*. Tu confer ejusdem *secre-*

tosque pios, his dantem jura Catonem, et, quod magis ad rem, a Sibylla et Anchise narrata in lib. VI. Æn. Sic persuasum habebis, jura in hoc Ovidii loco esse jura inferorum, consueto poetarum more, regna et hinc jura legesque apud inferos fingentium. Anchises postremo de bellis instantibus filium docet, quem locum, brevem apud Virgilium, uno versu complexus est Ovidius. Si conjecturis indulgendum, possis emendare *fata suorum*; sed vana in sanis medicina.

XIV, 305, (Spreng. p. 97.) non male defendit codicis Berolinensis lectionem *illis* pro *illum*.

XIV, 407, (Spreng. p. 97.) locus est, una menda inducta, ut solet, pluribus contaminatus:

Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos,
Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis,
Et lapides visi mugitus edere raucos,
Et latrare canes, et humus serpentibus atris
Squalere, et tenues animæ volitare videntur.
Attonitum monstris vulgus pavet. Illa paventum
Ora venenata tetigit mirantia virga, etc.

Hic Sprengel decernit *palluere arva* pro *palluit arbos*. *Arbos* defendi potest, sed displicet sane; at magis criticus, cujus vocabulo si poeta uti voluisset, poterat scribere *vicinum palluit arvum*, ne quid diceret, cujus exemplum nullum exstare in ejus carminibus, puto. Sed si hic probes criticum, in sequentibus jam sui simillimum reperies. Nam *arvis*, quæ induxit, utens, non dubitat, pro *visi* scriptum esse *sacri*; arva enim discerni lapidibus, eosque esse sacros. Quæ refutare tædet, utpote vana, ut nihil supra. Sed medicina eget locus. Accipe igitur quid censeam. Codices permulti habent *volitare silentum*: quam lectionem, ut, invito Burmanno, sed probante Heinsio, veram esse intelligas, reputa, quam vulgaris sit illius verbi in re simili usus (cf. e *Metam. vasti silentia regni*; *rex silentum*; *jura silentibus reddidit*; et simillimum huic loco *umbras silentum erravisse*.) Fateberis omnia tentanda, ne *silentum* damnetur. Cur autem damnatur? Quia versus sequens in *paventum* desinit, quale homœoteleuton nec ipse credo Ovidium admisisse; si tamen admisisset, non ideo scriberem *videntur*, quod ob præcedens *visi*, non modo vocis repetitione, sed æque offendit temporis diversitate; vides enim, tempus perfectum flagitari. Retine igitur *silentum*, quo sanius nihil in Ovidio; sed, ut homœoteleuton tollatur, in versu sequenti lege *paventes* pro *paventum*. Cur? Quia *paventes ora tetigit* idem ac *paventum ora tetigit*, et poetis usitatum Græcorum more dicere *tangere aliquem os* pro *alicujus os*, *vulnerare aliquem pectus*, pro *alicujus pectus*, quale est notum illud ludimagistris *os humerosque deo similis*. Cf. Æn. IV, 589, *pectus percussa*, et, 590,

abscissa comas, unde activo modo diceres *abscindere aliquem comas*, simillimum nostro loco.

XIV, 772, (Spreng. p. 99.) Sprengel, diu frustra conatus, invenit *nutus* pro *miles*, ut sit

Proximus Ausonias injusti nutus Amuli
Rexit opes.

Satis idonee, si non offenderet *proximus nutus*. Quis enim e. g. dicet: proximus ab Augusto Romam rexit nutus Tiberii? At quid scripsit poeta? Nam *miles* ferendum non puto. Si audaci, quales non amo, conjecturæ veniam des, suadeam *injustæ mentis Amulius*. Primum, quia *proximus* vix aliud patitur quam nominativum casum, et maxime ipsius regis nomen, deinde quia non incredibilis mutatio *mentis* in *miles*; deinde, quia librarius prosodiæ parum peritus ignorare potuit *Amulius* posse fieri trisyllabum, sicque corrigere debuit *Amuli*, quo facto, præcedens etiam mutari, necesse fuit; denique, quia *injustus* haud dubie, quoad adjectivum, recte habet, et *injustæ mentis* bene congruit cum loco *Fast.* IV, 53, ubi *dirum* Amulium poeta, et III, 49, ubi *contemptorem æqui* vocat. Dixi, quo melius non habeo.

XV, 48, (Spreng. p. 101.) ubi Gesnerus, male, opinor, parentem Amphitryoniadæ facit Jovem, criticus pro *parenti* legit *patrono*, ut habeamus

— Grates agit illepatrono
Amphitryoniadæ.

Nimirum, advocati officium Myscelo Herculem præstitisse; ac forte monachum timuisse, ne, si patronus sit Hercules, sanctis adnumeretur, aut nefas duxisse, si Herculi titulus tribuatur proprius catholicorum sanctis. Ego monachos fuisse ineptos multos novi; sed succurrit illud Ciceronis: *sed, qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.* Tu levi mutatione malis forte ad sensum optime legere *potenti.*

XV, 60, (Spreng. p. 102.) criticus decernit *dominum* pro *dominos*; hoc stolidum correxisse, metri vitium esse, somniantem. Tu, me auctore, nihil mutabis, ne sine ulla necessitate inducatur *dominum odioque*, quale, nimis dubito, an ullus Ovidii versus exhibeat.

XV, 154, (Spreng. p. 103.) criticus legit *quid styga, quid* tenebras, *falsique piacula mundi, materiem vatum, et nomina vana timetis.* Cur sic? Ut hiatus, qualis in præcedenti nota, recurrat.

XV, 192, (Spreng. p. 104.) criticus contendit, poetam scripsisse *ipse deique oculus* pro *ipse dei clypeus.* Nempe solem dici Jovis oculum ap Macrobium; clypeo autem non egere Deum; sed petitum esse e XIII, 852. Tanto acumine

non vidit rem manifestam, non agi de summi numinis, sed de Phœbi clypeo, cujus nomen repetere noluit poeta in versu præcedenti occurrens. Possis conjicere *vultus* et alia; nam insolens profecto videtur Phœbi clypeus pro orbe solis. Sed quis ausit falsum pronuntiare, quod, insolentius modo dictum, codicum consensu nititur?

XV, 229, (Spreng. p. 105.) Sprengel, ad græca rediens, Milonis lacertos fingit *athletas* pro *inanes*; ut sit *Fletque Milon senior, quum spectat athletas — lacertos*. Cur? Ut sanæ, certe ferendæ incredibilis lectio substituatur.

XV, 235, (Spreng. p. 106.) criticus, ad hiatum reversus, in loco :

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

pro *dentibus ævi* decernit *dente iniquo*. Credam, modo alterum, præter quæ ipse induxit, talis hiatus exemplum in Ovidio reperiat. Cæterum jure miremur, commentatores, in iisque Gierigium, et, postremum, quantum scio, editorem, Lemairium verba *dentibus ævi* non suspecta habere, sed explicare tantum; quæ profecto, si sana essent, explicatione non egerent. Enimvero, indignum Ovidio ducimus dixisse, tempus et vetustatem omnia dentibus ævi destruere. Sed quid scripserit, præter Sprengelem, nemo facile, se reperisse, fidenter pronuntiabit. Ne tamen nihil adferamus : possis suspicari *dente sub æquo*; nam et singularis, quod recte criticus animadvertit, usitatius in re simili, et *sub dente* satis defendet Virgilianum *tremerent sub dentibus artus* (ubi perinde nonnihil offendit præcedens *membra*); *æquo* autem ad sensum plane congruens diceres, comparato Horatii *mors æquo pulsat pede*; denique rare occurrens vocabuli significatio hominem fugere parum sive peritum sive attentum potuit, et vulgarem significationem vides a sententia poetæ prorsus abhorrere. Sed, quo magis desperandum putes, possis etiam conjicere *vitianteque dente subesa* (cf. XI, 783, *e scopulo, quem rauca subederat unda*). Quod tamen minus placet, utpote, propter præcedens *edax*, pariter repetitione nonnihil offendens. Adde quod participium vix aut raro usurpatum.

XV, 311, (Spreng. p. 107.) criticus emendat *admotum*; deinde, merito reprehensam emendationem fatetur a viro docto; esse enim hypallagen. Quod an sit, et, an hypallagen hac occasione recte definierit Sprengel, mitto inquirere. Nos ad illam figuram supra in *distentum cruribus uber* recurrimus, et infra ejusdem ope vulgatam lectionem contra criticum tuebimur. Locus in Gierigiana editione sic legitur :

Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum Luna recessit in orbes.

Vides constructionem nullo sensu, nisi aut *accendere* accipias pro *accendi*, quod, nescio, qui liceat, aut Athamantis sit fontis, de quo agitur, nomen; nam ad *Luna* referre *narratur*, ridiculum foret. At credibile non videtur, adeo notum fuisse fontem, ut satis esset nominare, quo lector poetam intelligeret, neque aliud quæreret in vocabulo *Athamantis*. Deinde *Athamantis aquis accendit* est, quasi dicas *fons aquis accendit;* quod satis inepte. Gierigius tamen nihil adfert, nisi locum Sotionis, quo discimus ἐν Ἀθάμασι, et Plinii, quo discimus in Epiro fontem illum fuisse; Epirum autem incoluere Athamanes. Adde, quod aliæ editiones habent *Athamanis*. Quid igitur simplicius, quam accedere iis, qui suspicantur *Athamanes*, in quibus Sprengel? Ut sensus sit : narratur, Athamanes accendere lignum admotis aquis, vel admotum aquis. Cæterum vide, an necesse sit metri causa aut *Athamanas* legere aut *narrantur*. Cf. Ovidii *insula tigres habet*. Si ita prorsus nolis, non absurde, sed majori mutatione legas *admotas Athamantis aquas accendere lignum*, *narratur*.

XV, 337, (Spreng. p. 109.) Sprengel decernit, *undarum* ob sequens *ventisque resistunt* falsum esse : scribendum *ventorum*; deinde-sed summam sapientiæ audi, ut scias nihil posse infelicius cogitari. Pro *undarum sparsas Symplegadas elisarum* criticus legit *ventorum actas Symplegadas in collisum*. Quæris, quid ipse? Locum levissima mutatione indigere. Lege enim *petras Symplegadas*, (nam *planctas*, licet æque ad sequens *immotæ*, alias minus placet,) et habebis verum quidem, sed non cuivis intellectum, ideoque mutatum. Ne dubites, confer Apoll. Rhod. I, 2, πέτρας κυανέας; et, si hoc non satis, Strabonem et Plinium. Colliges, Symplegadas petras a latinis etiam insulas illas esse dictas, certe dici eo rectius potuisse, quoniam petræ vocabulo in similibus utuntur. Probato autem *petras*, ut sensum eruas optimum, junge : Argo timuit petras Symplegadas concursibus undarum elisarum; quo facto, vides sensum apertum satis, scilicet : Argo timuit insulas in concursu undarum elisarum; sed aptius fuisset : Argo timuit undas elisas in concursu insularum. Vides igitur esse hypallagen; poetam nempe, quum aliter versum conficere vix aut nequaquam posset, scripsisse *timuit concursibus undarum elisarum petras Symplegadas* pro *timuit concursibus petrarum Symplegadum undas elisas*. De voce *elisas* confer Virg. *spumam elisam*, de re confer Apoll. Rhod. II, 565. sqq.

XV, 500, (Spreng. p. III.) Sprengel versum ab Heinsio, a Lemairio etiam damnatum defendit, in loco

— Me Pasiphaeïa quondam
Tentatum frustra patrium temerasse cubile,
(Quod voluit, finxit voluisse, et crimine verso)
Indiciine metu magis offensane repulsæ,
Arguit.

Scribendum modo, inquit, *privo* pro *verso*. Probat etiam *temerare* pro *temerasse*, idque multorum codicum; sed male refert ad *tentatum*. Ego, probato *temerare*, et longe rejecto *privo*, cur quidquam præterea mutem, causam non invenio. Sensus enim sic habet : me Pasiphaeïa quondam, frustra tentatum (postquam me frustra tentavit), patriam cubile temerare, quod ipsa voluit, voluisse finxit, et, crimine verso (suum in me crimen vertens), arguit (accusavit), indiciine metu magis (subint. incertum est), an offensa repulsæ. Vides, mulierem dici finxisse, (quod usitatissimum de falsa accusatione,) quo juvenem accusaret, eum voluisse patris lectum temerare, quod ipsa voluerat, et, crimine suo in innocentem converso, arguisse i. e. accusasse eum apud patrem. Scilicet *temerare* non pendet ab *arguit*, nec a *tentatum*, sed a *voluisse*, quod ipsum pendet a *finxit* : *finxit, me voluisse temerare*. Sic vides veram lectionem esse *temerare*; *temerasse* autem esse substitutum ab eo, qui jungeret *temerare arguit*, quæ constructio manifesto perfectum tempus flagitabat. De ellipsi confer Tac. *Ann.* 1, 13, *casu*, *an manibus ejus impeditus*; ubi subintelligitur *incertum est* aut *dubium est*. Vides sensum apertum : crimine verso, arguit (accusavit) me, incertum, an metu potius, ne rem indicarem patri, anne, offensa repulsæ, i. e. ira, quod me frustra tentaverat, incensa. Habes sensum optimum et orationis distinctione defensum, ut nihil offendat, adeoque codicum genuina lectione versum a suspicione liberatum.

Si quid tribuis meis emendationibus, multis exemplis intelliges, causam mendarum et suspicionis in poetis omnium forte frequentissimam esse falsam orationis distinctionem. In hac igitur constituenda inprimis laborandum est critico, nec minus, ne sana suspiciat, quam ut depravata restituat. Sed enim, quamvis ab orationis distinctione nulla fere emendatio separari queat, plerique, vel profundiorem ejus investigationem negligentes, vel reconditam non assequentes rationem, quæ levissima aut nulla mutatione indigent, ea non emendare aut intelligere, sed magis magisque velle implicare videntur. Quid enim in loco supra memorato *potes ipsa videre ut vix circumeant distentum cruribus uber*, simplicius erat, quam jungere *videre* et *uber*, non *circumeant* et *uber*? Atqui simplicissima res omnium, quantum vidi, criticorum acumen fugit : sic locus, semel a librario, inducto *sustineant*, corruptus, qui veram lectionem idonea interpretatione revocaret, neminem reperit.

XV, 653, (Spreng. p. 112.) criticus legit *in ære* (scil. in numis) pro *in æde*, ut habeas

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum; sed qualis in *ære*
Esse solet.

Sensus haud dubie est : deus visus est Romano, non serpentis forma, qualis postero die adparuit, sed qualis in æde, i. e. qualis vulgo cernitur, forma, quam describit poeta. Serpentis species nimium terruisset Romanum; quam deus, siquid judico, hucusque ne habuerat quidem, certe non serpentis imagine, sed cum serpente baculum ambiente et vulgo et Romæ etiam in æde sua repræsentabatur. Igitur *in ære* suum sibi habeat Sprengel.

XV, 739, (Spreng. p. 115.) locus est critices ratione memorabilis :

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
(Insula nomen habet,) laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

Hic Gierigium carpit Sprengel, quod egregiam vocet descriptionem, quam nemo intelligat. Ego de sensu non laboro; est enim manifestus; cæterum non modo non egregiam, sed poeta prorsus indignam judico. Quis autem nescit, quam faciles ad laudandum sint veterum interpretes, præsertim, ubi nil corrigendum vident, neque tamen sine nota prætermittere locum volunt? Enimvero, quid tandem aut pulchre aut apte dictum in : *scinditur in partes amnis, laterumque a parte duorum porrigit æquales lacertos?* Ineptissimum, opinor, fateberis. At quid Sprengel? Re jam desperata, vidit in Adleri *Romæ descriptione* insulam in actis martyrum adpellari Lycaoniam; sic decrevit : *amnis, porgens æquales media tellure lacertos; insula nomen habet Arctorum a patre duorum* (scil. a Lycaone, patre Callistus sive Ursæ majoris, et avo Arcadis sive, ut Sprengel Bodeo credit, Ursæ minoris.) Vides audacem emendationem, sed sudore non contemnendam : quo tamen hic quoque nil expeditum sic intelliges. Primum nullius veterum testimonio constat, insulam Tiberinam ante vel ipso Ovidii ævo jam Lycaoniam esse dictam. Sic liceat adfirmare, donec contrarium quis doceat. Jovis autem Lycaonii templum, a quo dictam antiquarii narrant, Ovidii ætate in insula fuisse, ut negare non ausim, ita non credam, donec argumenta dubitare vetent, quæ frustra interim quæsivi. Certum tamen manet, Lycaoniam esse, a quocunque demum tempore aut causa, adpellatam. Restat igitur, ut Sprengel fidem historiæ emendationi conciliet, quam alioquin, propter nimiam textus mutationem nulla codicum auctoritate niten-

tem, nemo feret, eo quidem minus, quoniam et inepte patrem duorum Arctorum Jovem poeta vocasset, alterius patrem, alterius avum, et idem Booten quidem (*Fast* II, 190.), quem alias Icarum, (*Met.* (X, 450.), fecit Arcadem, Callistus filium, at nusquam hunc Ursam minorem. Hæc contra Sprengelis conjecturam. Nunc, ipse quam repererim, accipe, audacem sane et hanc, sed, si falsa, non inutilem forte olim locum tentaturo, quem corruptum prorsus duco.

Scis, insulam Tiberinam in navis speciem esse lateribus ædificatam. Nota res est; ita tamen, ut latere plerosque librarios potuerit, imo debuerit. Quid ergo? An credibile videtur, Ovidium hujus rei nec alias mentionem ullam, neque hoc loco, ubi insulæ formam studiose describit, fecisse? Mireris profecto, rem tam singularem, tam celebratam ab eo præteritam, quo loco minime exspectes. Quidni ergo scrutemur, an navis mentio corrupta quadam voce occultetur, quæ et suspecta merito sit, et alias mentionem illam quærenti faveat? Atqui talis est in hocce loco vox *parte.* Enimvero, eadem nec tolerari, ut monuimus, potest, et, quod commode substituatur, aliud non reperio nisi *navis* aut *puppis*, forma propius accedens ad *parte*, et poetis usitatissimum pro nave. Fingamus enim, poetam scripsisse *laterumque a puppe duorum*, fateberis, jam nihil offendere, nisi phraseos constructionem, pro *parte* autem esse id substitutum, quod mirifice congruat rei describendæ. Sensum porro habes non minus apertum, quam manente *parte*, videlicet : amnis a puppe duorum laterum æquales lacertos porrigit, i. e. brachia amnis ab utroque latere æqualia sunt; unde pendet Plutarchi insulæ epitheton *μεσοποταμία*, et Ovidii *media tellure.* Sed in sensu manifesto insolens manet dictio; par enim erat dicere : amnis a duobus lateribus puppis porrigit æquales lacertos, non : a puppe duorum laterum. Quid hinc, nisi hypallagen esse, qualem supra vidimus, poetamque ob eandem causam, quia versus hoc non reciperet, pro *a duobus lateribus puppis* scripsisse *a puppe duorum laterum?*

Habes locum a critici incredibili mutatione satis defensum. Nam quod ille absurdum dicit *insula nomen habet*, nisi addatur, unde habeat, non tanti est. Quid enim voluit poeta? Nihil aliud, nisi locum insulam simpliciter appellari; et vero sic appellatum esse, scriptorum testimoniis constat. Optime ad rem Livii XXXIV, 53, *in insula Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit.* Nempe, ut pars quædam Syracusarum, sic illa pars Romæ insula simpliciter vulgo adpellabatur, quamvis eadem Æsculapii, cui sacra erat, dicta (Suet. *Claud.* 25.), templaque et alia etiam memoranda habuerit, unde cognomen trahere potuisset; nec dubium est, quin plura traxerit; et a flumine tiberinam sæpe vocari, par erat. Quod

autem Plutarchus eam Romanorum lingua μέση δυοῖν γεφυρῶν adpellatam, testatur, ad partem insulæ inter Fabricium et Cestium pontes potius crederem pertinere, *inter pontes* vel *interpontium* forte vocatam. Sed vulgo insulam simpliciter dictam esse, unus Livii locus satis docet. Quid igitur absurdum, aut quid mirum, si locum, quem describit, consueto nomine poeta designaverit? Equidem nihil video.

Restat, ut alio loco emendatio nostra commendetur. Talem reperisse mihi videor *Fast.* I, 289, ubi de duobus insulæ templis :

> Sacravere patres hac duo templa die.
> Accepit Phœbo nymphaque Coronide natum
> Insula, dividua quam premit amnis aqua.
> Jupiter in parte est : cepit locus unus utrumque,
> Junctaque sunt magno templa nepotis avo.

Quo loco aliisque comparatis, ut mittam, quæ antiquarii in iisque Nardinus (*Thes.* Græv. v. IV. p. 1415.) censuere, ipse colligo templum Æsculapii non in prora insulæ, qua parte flumen frangit, sed aut in media insula non ita magna, aut propius puppem fuisse. In prora autem insulæ, quo minus ibidem aliud fuisse credas, templum, certe aram Fauni ponunt Ovidii versus, *Fast.* II, 193,

> Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
> Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

Ubi manifesto prora designatur, at non item, licet quibusdam placuerit, in versu memorato *insula, dividua quam premit amnis aqua*, ubi, qui Æsculapii ædem in prora fuisse, suspicantur, possunt sane interpretari *insula, quam premit* quasi sit ea pars insulæ, quam amnis premit, possunt etiam velle legere *qua* pro *quam ;* at illud vix tolerandum, utpote nimis obscurum, hoc autem prorsus non concedendum, nisi gravissima causa falsam lectionem arguat. Quum igitur templum Fauni in prora, Æsculapii autem in inferiore insulæ parte, idemque, ut Ovidius ait, cum Jovis (Lycaonii, si antiquariis credas) templo conjunctum sit, quidni Jovis templum in puppe fuisse eo magis statuamus, ne aut hoc inter Fauni et Æsculapii, aut tria templa in prora ponantur : quorum alterum cur probem, non habeo, alterum vero prorsus absurdum? Hæc tenens, intuere verba *Jupiter in parte est.* Fateberis, quocunque modo intelligas, satis otiosa esse, sequente *cepit locus unus utrumque*, scilicet bis idem dici. Contra, si legis *Jupiter in puppe est*, eadem otiosa non erunt; designabunt enim templi in insula situm. Vide igitur, an idonea sufficiensque ratio sit, cur in duobus Ovidii versibus occultam corrupta lectione existimes rei mentionem, quam parum

credibile putamus ab eo non esse memoratam in insulæ Tiberinæ descriptione.

XV, 822, (Spreng. 118.) criticus *victa petant* insanum declarat; Ovidium scripsisse *debebunt*. Cur? Urbe expugnata, pacem petere serum atque absurdum esse, et vix Abderæ tribuendum. Habemus igitur

Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem
Debebunt Mutinæ.

Tu vero mœnia victa mecum, opinor, intelliges, quæ cives sui defendere porro nequaent, aut posse desperent; pacemque petentes Mutinenses eo ipso mœnia victa fateri. Quominus dubites, confer *Fast.* IV, 627,

Luce secutura tutos pete navita portus:
Ventus ab occasu grandine mixtus erit.
Sit licet, ut fuerit; tamen hac Mutinensia Cæsar
Grandinemilitia contudit arma sua.

Vides hic etiam Cæsaris auspiciis (*militiâ*) Mutinenses contusos i. e. victos. Sed, (ut occasione ad locum, si opus est, emendandum utamur,) aliud me offendit. Quid enim *hac grandine*, nisi ponamus tum quoque grandinasse; ut sensus sit, solita illa ejus diei grandine a Cæsare contusos esse Mutinenses? Si non grandinavit, (quod quærere non lubet,) et ideo offendet *hac grandine*, et quia ridiculum est *hac grandine* pro *hac die*. Deinde quanto elegantius foret *grandine militiæ suæ*, quam *hac grandine militia sua contudit?* Quare, si non grandinavit, me auctore, poeta dignum feceris *hac* cum *luce*, non cum *grandine* jungens, legensque: *grandine militiæ contudit arma suæ*.

Notæ in Fastos.

I, 289. Vide ad *Met.* XV, 739.

II, 193. Vide ibidem.

II, 409, (Spreng. p. 119.) Sprengel miratur criticorum socordiam in loco

Alveus in limo, sylvis adpulsus opacis,
Paulatim fluvio deficiente, sedet.
Arbor erat. Remanent vestigia; quæque vocatur
Rumina nunc ficus Romula ficus erat.

decernitque, poetam scripsisse *ardor erat*, non *arbor erat*; emendationem confirmat *æstus erat Met.* X, 126, et *Am.* I, 5, 1. Sed vanissima hæc. Sensus est: arbor ibi erat; ut intelligatur, alveum arbori adhæsisse; poterat enim, quamvis in sylvis, in luto sedere, quin arbori adhæresceret. Deinde,

æstum non fuisse, arguit versus 389. *Albula-hibernis forte tumebat aquis.* Vides, quam egregie his congruat *ardor erat.* Cæterum fateor, poetam obscure locutum esse, et nonnihil suspicatus sum fuisse *arbor ibi*, *erat* autem, ab interpretante in margine scriptum, in textum irrepsisse. Subiit et aliud : poetam velle, alveum in limo sedentem in arborem continuo esse mutatum; quam fabulam nusquam reperi, sed non mireris in re tam miraculis celebrata. Certum est huic conjecturæ prorsus favere phrasium nexum : — *sedet. Arbor erat.*

III, 381, (Spreng. p. 120.), criticus decernit *exempla* pro *cælata*. Cur? Ut hiatum habeamus :

Plura jubet fieri simili exempla figura.

III, 429, (Spreng. p. 121.) in loco

Una nota est Marti; Nonis sacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Criticus *nota* interpretatur ignominiæ notam; scilicet unam hanc esse Marti inustam notam, quod Asylum pessimo cuique aperuerit Romulus. Mirifica enimvero interpretatio, et critico digna. Notarum in fastis calendaribus mentio recurrit v, 727, in *quatuor inde notis locus est*, quæ, si quid judico, non ad totidem dies, sed ad unam pertinent, ob quatuor causas totidem notas habentem, quas ipse poeta non obscure declarat partim sacrorum, partim regis (scil. sacrifici) fugam spectare. Nota enim prorsus est diei adscripta sive festi sive omnino rei memorabilis indicatio. Quum igitur, ut *Fasti* Ovidii et omnino fasti calendares docent, eadem dies sæpe pluribus nominibus aut festa aut memorabilis esset, plures etiam notas habere dicebatur, sive dies una nota, duabus notis etc. Sic dies modo memorata (24. Maji) erat quatuor notis; idque ne inepte dicat poeta, pro *locus*, me suadente, leges *lux ;* eo magis, quoniam in vetusta editione legitur *lucus est* sine sensu idoneo, ob eamque rem mutatum in *locus*, quod litteris magis discrepat a *lux*, vera, si quid mihi credis, lectione. Hæc tenens, non absurde conjicies, poetam dixisse *una nota est Martis Nonis*, quia, licet plures essent, ipse unius tantum causam, templum Vejovi sacratum, memorare vellet; cæteras autem ab eo prætermissas esse ut levioris momenti aut narrationi poeticæ minus faventes. Neque enim omnia juxta est persecutus, sed multa indicare satis habuit, et vix dubium videtur, quin levissima quædam ne nomine quidem attigerit. Plures autem notas Nonis Martis fuisse, ex eo collige, quod eidem diei in festis calendaribus adscripta sunt Junonalia : quæ tamen omissa ab Ovidio jure mirareris, forte alia occasione in *Fastis* memorata aut memoranda. Sic *nota*, quod criticos non parum vexavit, satis defensum puto. Quan-

quam ipse, altero loco nondum reperto, falsam eam lectionem, nimium displicente, quam commentatores adferunt, interpretatione, ac pene persuasum habebam, me verum invenisse, legens : *septima* (est enim septima) *lux* (v. *nox*) *Martis Jovis est*, (ut v, 725, *proxima Vulcani lux es.*) *sacrata quod illa* etc. Pro *septima* scriptum fingebam in codice VIIa, hinc natum esse Vna. Cætera sic expedieram, ut, quid jam objici speciose posset, non reperirem. Atqui vana erat emendatio; neque ullo exemplo melius perspexi, quam vere præcipiatur, nihil non tentandum antequam codicum lectio, nisi corruptam manifesta ratio arguat, damnetur.

III, 753, (Spreng. p. 122.) criticus, postquam exclamavit : an usquam insanius quidquam hocce *crabronum* extitit! Ovidium decernit scripsisse *cum apium*, ut sit *millia cum apium coeunt*. Habes hiatum in littera *m*, ad quem sepius confugisse Sprengelem, nosti. Crabronum genus quoddam mellificare, puer credidi, et hodie, opinor, multi credunt. Quid autem sapienti de ea re statuendum, in præsentia quærere non lubet. Possis credere, Ovidium in crabronibus errare, ut veteres in formicis errasse, nunc historiæ naturalis periti docuerunt; possis etiam defendere poetam, fingens apum cellas a crabronibus occupatas; in has Silenum incidisse; possis denique multis præterea modis lectionem tueri, antequam Ovidium scripsisse decernas, quæ, si me audis, nunquam scripsit; tametsi hanc emendationem lubens inter meliores Sprengelis refero.

III, 827, (Spreng. p. 123.) in loco

Vos quoque, Phœbeá morbos qui pellitis arte,
  Munera de vestris pauca referte deæ.
Nec vos turba feri censu fraudata magistri
  Spernite : discipulos attrahit illa novos.

criticus, in tribus codicibus reperiens *deam* pro *feri*, legit *Nec vos*, *turba deæ*, *censu fraudare*, *magistri*, *spernite*. Ferendum, si non præcederet *deæ*. Neque magis placet *deam*, *censu fraudata*, Burmanno et Lemairio probatum, qui fraudatam censu intelligit pauperem. Hoc quidem non male; sed parum moveor codicum trium lectione; quippe nimis apertum; hanc esse corrupto vocabulo substitutam. Quis enim, quæso, *deam*, quo sensus habetur et evidens et satis probabilis, in *feri* mutasset? Equidem quodvis aliud potius crederem, quam hoc cuiquam in mentem venisse. Certum tamen videtur, vitium in *feri* latere. Sed quid scripsit poeta? Vide, an aliquid dicamus. Rejecto vocabulo *deæ* aut *deam*, quia repetitum offendit, et prorsus substitutum putamus, nonnihil desideratur vox referenda vel ad *spernite* vel, si ita legamus, ad *fraudate*; durum enim supplere *eam*, aut

6

e præcedentibus subintelligere *deam*. Deinde, quum suspicione careat *turba*, neque causa sit, cur potius adjectivum cum *magistri* quam cum *turba* jungendum quæramus, quumque ludimagistrorum turba, ut hodie, sic Romæ, humilis esset et exigui census (noli enim de cathedrarum nostrarum splendore et jactantia cogitare), nescio, quid isti turbæ aptius hic inveniatur, quam *tenuis*. Jam, quid ludimagistros poeta hortatur? Ne dona Minervæ negent, quæ quum solita sint, eo ipso non inepte censum deæ, quasi debitam ei sportulam, dicemus, neque video, quid aptius magistris dixerit poeta, quam *nec vos*, *turba tenuis*, *censu fraudate* Minervam. Sed nomen diximus desiderari ad *fraudate* referendum. Lege igitur *magistram* pro *magistri*, et habebis, quod, si poeta scripsisset, mirifice congrueret. Quid enim convenientius erit, quam magistros hortari, ne magistram (cf. *Met.* VI, 24.) multarum quidem artium, sed nullius magis quam litterarum, censu fraudent? Ac ne in phrasi requiras magistri nomen, vides eo prorsus opus non esse, quia sequitur : *discipulos novos attrahit;* ut, qualis turba sit, dubitare nequeamus. *Spernite* autem non male explices : spernite sive non curate parvam mercedis, licet tenuis, jacturam, quam novis discipulis dea compensabit. Quæ si probas, versus sic distingue :

Nec vos, turba tenuis, censu fraudate magistram :
Spernite : discipulos attrahit illa novos.

Hæc scripseram, quum sensu non melius, sed mutatione leviori multo probabilius reperi. *Feri*, quod alias magistris, virga sævientibus, optime, hic minime convenit. Jam finge poetam scripsisse *fere*, et *magistram*, ut conjecimus, non *magistri :* vides, in phrasi satis obscura, facile aut *fere* aut *magistram* mutari potuisse, et, altero mutato, alterum citius corrumpi, ut *feri* et *magistri* congruerent. Legamus igitur cum sensu tum dictione et perspicuum et probandum :

Nec vos, turba fere censu fraudata, magistram
Spernite : discipulos attrahit illa novos.

Sensus enim erit : neque vos, turba fere pauper, magistram spernite. In quo quid offendat, non video Nam *censu fraudata* hac significatione latinum esse, cum Lemairio persuasum habeo : Cætera vero ita sunt ad rem apta, ut supervacaneum sit aptiora quærere. Atqui de codicum lectionibus alteram genere tantum et casu, alteram vero, aperte corruptam, extrema littera mutavimus. Neque tamen displicet prior loci emendatio, sententia sane venustior, sed mutatione, ut diximus minus probabilis.

IV, 237, (Spreng. p. 124.) Sprengel, apage, exclamat,

insanum *coma!* Scribendum *nota*, scilicet sanguinis. Tu vide, an mecum dicas, apage emendationum futilitatem!

IV, 627. Vide ad *Met.* xv, 822.

IV, 679, (Spreng. p. 237.) in loco

Tertia post Hyadas cum lux erit orta romotas,
  Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur missæ vinctis ardentia tædis
  Terga ferant vulpes, causa dicenda mihi.

Criticus decernit *inclusos*; nempe illa die inclusos, non emissos esse equos, quia alius, vulpium puta, cursus. Non emissos esse, et ego credo; sed si *inclusos* dixisset poeta, contrarium statuerem; emittendi enim equi carcere inclusi signum exspectant; neque, si quid video, in carcere sunt, nisi quo die emittentur, sed in stabulis. Quæris, quid ipse extuderim? Verba *cur igitur ferant* arguunt, in versu præcedenti de vulpibus jam agi, non de equis. Quid enim *igitur*, nisi ad præcedens aliquid referatur? Ineptum, certe obscurum dices. Quærendum itaque, ubi lateant vulpes; ac, si me audis, latent in *partitos equos*; jocans scilicet poeta vulpes e carcere equorum loco emittendas equos vocat, non *partitos*, quod quid sit, nemo intelligit, sed alio nomine designatos, quo vulpes esse, non veros equos, statim pateat jocosum illud ludicrum noscentibus. Jam, vulpes illas, ob segetem olim a vulpe incensam, *ardentia tædis terga* in Circo tulisse, ipse poeta narrat, ac vero simillimum videtur, tædis illis spicas (cf. 705. *stipula fænoque involvit*, et, 711. *cerealibus*, quod tamen, ambiguum, an de spicis, an de festo intelligendum.) sive culmos omnino fuisse conjunctos. Sic existimans, quum invenissem spicas cum aristis in saliari carmine dictas esse *agnas pennatas* (v. Schell. in *pennatus*), suspicatus sum aristas forte olim pennas esse adpellatas, adeoque *pennatus* esse dictum pro *spicatus* sive *spicifer*. Hæc tenens, vides, pronum fuisse legere *pennatos equos*. Quod si non scripsit poeta, ne dubita, quin aliquid certe scripserit ad ea, quæ vulpes in tergo gerebant, aut omnino ad vulpes referendum. Hoc flagitant sequentia. Possis non absurde conjicere *pennatus*, antiquam vocem, in ore vulgi omnino, aut in re solenni, ut fieri amat, ea, quam diximus, notione servatum esse. Hac meliorem non habeo, accipe tamen et aliam conjecturam. Legis apud poetam, vulpem illam, a qua moris origo deducitur, Carseolis, urbe Latii, segetes incendisse, ex eaque re durare illic legem, vetantem, ne vulpes capta vivat (710.) Possis hinc suspicari, vulpes in Circo cursuras Carseolis missas esse. Quid igitur, si poeta scripsisset *Carcere Carseolos circus habebit equos*, *Carseolos* autem a *Carseoli* pro *Carseolanos*, ut

Parisii et similia, dixisset? Haberes utique et hic sensu optimum; sed major vocis mutatio.

V, 727. Vide ad II, 429.

VI, 178, (Spreng. p. 126.) commentatores non leviter vexavit

Nec tellus captas miserat ante feras.

Sic enim codices corrupte; quia et alias ineptum *captas feras*, et vix dubium, quin de avibus delicatis, Romam mitti solitis, agatur; ideoque acute Burmannus et docte conjecit *Delus capos* pro *tellus captas*. Sed, mutato *tellus*, quæ vera lectio, non habuit, quomodo probabiliter mutaret *feras*. Legit autem, utcunque defendens, *feros*; scilicet capos, ante quam capi fiant, esse feros. Vides, quam frigidum hoc et ineptum. Vidit et criticus, poeta indignum esse; sed ut ineptius, me quidem judice, decerneret, legens *ante viros*. Nunc meam conjecturam de loco, medicina etiam egente, accipe. Scis, Delum esse ex insulis, quas olim mari tectas latuisse, nota fama est; unde etiam δῆλον, quasi adparentem, quæ prius occultata fuerit, adpellatam quidam voluere. Confer Plinii II, 87, *claræ jam pridem insulæ Delos et Rhodos memoriæ (mari?) produntur enatæ*. Vides, diversam famam esse de Delo vagante, quam alibi attingit poeta. Hæc tenens, reputa, quomodo poeta in simili re loquatur *Fast.* VI, 103, ubi de loco, olim lacu:

Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus; sed fuit ante lacus.

et *Met.* XV, 262, ubi nostro loco simillimum:

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras.

Quibus lectis, non mireris de insula Delo simili modo poetam dixisse, olim fuisse fretum. Atqui, ut hoc dicat, pro *feras* lege *fretum*, ut sit:

Nec tellus capos miserat, ante fretum.

Vides phrasin et constructionem latinam; quidni enim dicatur *tellus*, *ante fretum*, pro *tellus*, *quæ fuit ante fretum*? Vides sensum, quo, nescio, quid aptius ad rem cogitetur, eundemque docto poeta dignum; qui, quum solo insulæ nomine versum implere non posset, nec haberet quod commodius adjiceretur, rei singularis mentionem inserens, Delum nec obscure nec ambigue designavit, quippe conjungens capos, quorum ibi commercium vigere, quosque inde Romam ferri, vulgo notum erat, cum pervulgata fama de insula olim mari

occultata : quæ bina nonnisi in Delum cadere poterant. Vides denique mutationem non ita magnam duarum vocum, quas a librariis non corruptas magis mirareris, quam corruptas, utpote quas per mediam ætatem paucorum erat intelligere. Scio, quosdam conjecisse aut probasse *arte ferax*, quia olim inculta Delos; sed ipsum *Delos* sine necessitate inducendum non est; et si legas *tellus arte ferax*, nimis obscure insula designetur; mallemque *tellus ante fera*. At enim, si id poeta aut simile scripsisset, non liquet, cur loci aperta sententia corrupta fuerit. Contra *fretum* quum librarius non intelligeret, neque *freta* aut res aut versus admitteret, quid potius scribere debuit, quam *fera*, ut haberetur *tellus fera*; unde alius, non intelligens, quid capi, aut cur a terra fera mitterentur, quid potius corrigere debuit, quam *captas feras*?

VI, 277, (Spreng. p. 128.) criticus præfert *arte*, vulgarem ante Heinsium lectionem, qui maluit *arce*. Utrumque codicibus nititur. Locus sententiarum nexu difficilis; quo expedito, quæ lectio præstet, judicabis. En phrasium seriem :

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa;
  Aere subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
  Quique premat partes, angelus omnis abest.
Cumque sit in media rerum regione locata,
  Et tangat nullum plusve minusve latus;
Ni convexa foret, parti vicinior esset,
  Nec medium terram mundus haberet onus.
Arce Syracosia, suspensus in aere clauso
  Stat globus, immensi parva figura poli;
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
  Terra : quod ut fiat, forma rotunda facit.

Ex his distichon secundum cum sequentibus duobus abest a codicibus plurimis, in iis a Francofurtensi, cujus variantes *Fastorum* lectiones textus editioni adjecit Matthiæ (Francofurti, 1813.) Eadem disticha non habet editio Parisiensis a. 1553. Quid hinc? Eo justius suspecta esse, quia, his omissis, cætera levi mutatione aptissime, contra manentibus, pessime cohærent, nec loci probabiliter expediendi ratio datur. Adde, quod tertium ex illis distichon, plane ridicule cum secundo conjunctum, omitti solum nequit, quia sequens distichon (*arce Syracosia* etc.) cum secundo recte conjungi nequit. Idem tamen secundum cum primo disticho cohæret. Est adeo gravis causa, cur viro docto (v. Lemairii ad hunc locum notam), illa disticha ut spuria rejicienti assentiamur. Quo facto, ut et nexus sententiarum et dictio sint cum aperta tum optima, pro *in aere* lege *ut aere*, locumque sic distingue :

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa;
  Aere subjecto tam grave pendet onus,

(Arce Syracosia suspensus ut aere clauso
Stat globus, immensi parva figura poli,)
Et quantum a summis, tantum discessit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.

Vides comparatione venusta et aptissima contineri globum Archimedis, veteribus memoratum, sive legis *arte*, sive mavis *arce* cum iis, qui in arce positum fuisse globum existimant. Ipse præferrem *arte*, si liceret legere *Syracosii* (scil. Archimedis); insolentius enim videtur *arte Syracosia* pro Archimedea; et paulo aliter apud Virgilium *versu Syracosio* pro bucolico. *Cæterum pro nixa malit aliquis nixae.*

Hic Sprengelis emendationum Ovidianarum finis. Paucas adjecit Virgilii, occasione etiam incidens in Tibulli II, 4. De quibus emendationibus non libet dispicere, excepto uno Virgilii loco, Æn. III, 45,

Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit acutis.

ubi Sprengel decernit *increvi acutis.* Hinc conjice quid in Virgilio facturus fuisset, si parem illi atque Ovidio curam adhibuisset. Ego nihil mutandum censeo, sed orationem sic interpretans distinguo: *Nam Polydorus ego* (sum): *hic confixum* (Polydorum; non enim subintelligo *me*) *ferrea texit telorum seges, et jaculis increvit* (Polydorus) *acutis.* Fateor hunc phrasium nexum non esse eum, quem primo intuitu deprehenderes: simplicius enim foret: hic me confixum texit seges et jaculis mihi increvit; cæterum, quid in illo valde offendat, non video. *Jaculis* autem *increvit acutis,* ni totus fallor, hypallage est pro *jacula illi increverunt acuta.* Hæc si non arrident, aliud quære; nam loci interpretatio vel in Heynii editione arguit utcunque explicandi, quæ probabiliter nequeas, necessitatem.

Nota in Propertii III, 4.

In hac elegia quid decreverit Sprengel, diximus ad *Met.* v, 50. Quam ego quum nunquam castigandi causa legissem, ea occasione attentius investigans, comparatis Kuinoelii notis, persuasum habui, et hunc et omnes ante eum commentatores verum sententiarum nexum assecutos non esse. Prorsus autem sic habet. Puellam per duodecim dies, perfidiæ suspicione tortus infensusque poeta non inviserat. Illa, ut videtur, innocens, alius amore se desertam fingens, dolori ad desperationem indulgebat. Sic inter mutuo suspicaces bellum flagrabat (cf. distichon extremum). Interim Lygdamus, servus, sive missus ob id, sive, quod malo (cf. v. 7. *si qua tenes*),

inscio domino, puellæ doloris et querelarum testis, de ea re gratissima Propertio retulerat, quæ, unum poeta, ne vana sint, timet, ideoque servum jubet eadem sibi, qualia vidisset audissetque, ipsissima repetere (v. 7.). Verum, agitato vehementer animo, ipse de singulis, an vera sint, servum longa interrogationum serie urgens, ne spatium quidem respodendi relinquit. Sic v. 18. ad querelas puellæ, (nam priora ad ea, quæ viderat servus, referuntur,) veniens, interrogat: *Retulit et querulo jurgia nostra sono?* Jurgia autem refer ad expostulationem, in qua poeta puellæ cum aliis dixerat, se *æqualem nulla habere domo*, sed iratum scilicet esse propter illius, quam sibi fingebat, perfidiam (v. 38.) Quæ jurgia tangens, non ad verbum repetens, puella in querelas erumpit a Lygdamo poetæ narratas. Has igitur post versum 18. ipse Propertius subjicit ad v. 35., ubi servum, si *veris animis* illa sit questa, ad puellam recurrere jubet, et, quæ sequuntur, dicere. Sed easdem querelas Kuinoel cum aliis a Lygdamo, non a poeta pronuntiatas facit. Sic oratio post v. 18. dure, imo absurde flectitur, servo dominum eadem animi vehementia et celeritate querelas, qua præcedentia, recitaturum interrumpente. Nempe servus hucusque nihil respondit, quamvis poeta eum v. 7. *ab origine dicere prima* jusserit. Cur autem post interrogationem, quæ est in v. 18., loqui incipiat, quin denuo jubeatur, non video. Atqui poeta interrogare pergit, an jurgia puella retulerit; non, quibus verbis usa sit? Hæc enim ipse statim subjicit, qualia servus narraverat. Si loqui servum voluisset, debebat, nisi ineptum temere faciamus, dicere: nunc refer jurgia, vel simile quid. Aliud enim est abrupte, ut poetis in tali re solenne, omisso prosæ, ut ita dicam, nexu, aliud nullo nexu, omissis, quæ nemo supplere idonee possit, obscure simul et absurde loqui. Adde, quod, si servum pronuntiantem facimus, nihil ineptius est, post recitatas querelas, quam junctura *quæ* (v. 35.), eadem contra nihil offendens si præcedentia poetæ tribuuntur.

Cæterum, orationis a nobis constituto nexu, quem verissimum ducimus, nihil proficitur ad emendationem versus obscuri et varie tentati *æqualem nulla dicere habere domo*. Ubi, si mihi credis, nihil mutandum. Sensus enim est: Ille (Propertius) potest me linquere, et dicere, se nulla domo i. e. nusquam æqualem, i. e. rivalem habere, i. e. dicere, me non alius puellæ amore, sed perfidiæ suspicione ab ipso desertam esse? Quæ vides ad rem non male congruere; languet tamen *nulla domo*. Si prorsus nolis *æqualem*, a Kuinoelio simili loco (VIII, 21. ed. Kuin.) defensum, possis conjicere vel *rivalem* vel *atque aliam*; possis etiam malle: *æqualem* (vel *rivalem* vel *atque aliam*) *nullam dicere habere domi* (sic unus codex pro *domo*.) Sed enim vereor, ut sat gravis

causa sit, cur a vulgata codicum lectione abeamus. *Æqualem* utique eo verius reputo, quoniam quidam codices *equalem*. In cæteris *est pœnæ*, obscurum sane, me suadente, accipies pro est res pœnæ, vel pœna digna; ut sit : indigna res est, rumpere fidem, licet servo tantum teste, quem lex in dominum testimonium dicere vetat. Sed forte præstat, ne juris aut peritior sit puella, aut inepte memor, simpliciter intelligere : turpe est fidem rumpere vel servo teste; quem testem minus vereatur turpe quid faciens, quam ingenuum hominem. Denique pro *jurabo* verissimam judico Heinsii conjecturam *jurato*.

Notæ in Catulli carmen de coma Berenices.

Deperditum Callimachi de coma Berenices carmen a Catullo fide, et, quantum fieri potuit, ad verbum esse expressum, utramque linguam et dictionem poeticam callens, quamvis comparatione cum archetypo prorsus negata, haud obscure intelliget. Arguunt hoc, quæ passim reperis græca adcurate si non anxie sequentis indicia, conantis simillimum non sententiis magis quam dictione verbisque exhibere. Hinc mirum non est, si non modo facilitas quandoque et numerorum venustas desint., sed binis locis ea sit, constructionis insolentia, obscuritas, quæ commentatores, non animadversa difficultatis causa, supervacaneis conjecturis mirifice vexaverit. Quo magis operæ pretium reputo, ea hic adferre, quibus, casu ad illorum locorum interpretationem ductus, videor mihi posse utrumque ab omni in posterum suspicione vindicare. In priore loco (v. 75.) :

Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
  Abfore me a dominæ vertice discrucior :
Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
  Unguentis, una millia multa bibi.

nota doctissimi Doeringii : vitium haud dubie latet in voce *expers*, quam varie jam tentarunt interpretes, etc. Ipse conjicit *explens*, passive accipiendum ut sit *se explens* vel *expleta*. Longum foret, quid cæteri conjecerint, adponere. Tu vero, ne dubites, omnem difficultatem a constructione, ad quam nemo confugit, pendere, compara versum 18 : *Non, ita me divi, vera gemunt, juerint*. Hunc interpretes emendare quidem laboravere; sed quum nimis perspicua esset sententia, codicum auctoritas, certe apud Doeringium, prævaluit. Vides *juerint*, antiquiorem pro *juverint* aut rarius occurrentem formam, esse jungendum cum *non ita me divi*; sensus enim : Non vera gemunt, ita me divi juverint, (i. e. hercle, non vera gemunt,) usitatissima locutione. Simili

igitur modo in disticho nobis explicando junge *Quicum ego, omnibus* (scil. nunc, in cœlo posita,) *expers unguentis, dum virgo quondam fuit, una millia multa bibi.* Habebis sensum, quo aptiorem fingere nequeas, comam querentem, se nunc omnibus unguentis carere, quæ olim in Berenices, nondum nuptæ, vertice cum hac una millia unguentorum biberit. Constructionem vero versu 18. ita defensam fateberis, ut vanissimum sit malle commentatorum conjecturas poetæ adfingere, quam, quæ scripsit, argumento ex ipsius eodemque carmine petito tueri. Ad alterum locum, difficiliorem sane, sed, nisi totus fallor, simili constructione adjuvandum, transeo. In extremo enim carmine, damnata codicum veraque lectione *iterent*, effectum est, ut sensus aliquatenus ferendus erui non potuerit : quod ut verissimum esse fatearis, locum integrum considera. Coma enim, postquam unguenti munera a novis nuptis optavit, eadem a Berenice sic precans flagitat :

Tu vero, regina, tuens cum sidera divam
  Placabis festis luminibus Venerem,
Sanguinis expertem non votis esse tuam me,
  Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? Utinam coma regia fiam :
  Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

Sic editio Doeringiana. Sed pro *votis*, conjectura, codices habent *vestris*, pro *retinent*, item mera, quantum video, conjectura, codices habent *iterent*; denique pro *fulgeret* quidam codices *fulgeat*. His præmissis, de loci totius sensu me audi. Unguenta flagitari a coma, pro certo habeto, sive legas *sanguinis*, cui favet, quod incruenta Veneris sacrificia, sive præferas conjecturam *unguinis* (cf. supra *expers unguentis.*) Enimvero, nec in voce, sive sana sive corrupta, *vestris* alius doni nomen latere, idonee conjicies, et nexus sententiarum vix aluid patitur quam unguenta. *Votis* autem vanum esse, satis arguit sequens *muneribus*. Quid enim ineptius, quam votorum munera? Hæc tenentes, videamus, quis et quam aptus ad rem sensus, *sanguinis* in *unguinis*, et insuper una codicum littera mutata, prodeat. Refer *vestris* ad *muneribus*, ut sit : *unguinis expertem non* (effice) *vestris esse tuam me* (muneribus), *sed potius largis effice muneribus*, etc. i. e., soluto versu, vestris unguinis muneribus me tuam non effice expertem esse, sed potius largis muneribus effice, etc. Vides constructionem in versu obscuram et impeditam, neque tamen incredibilem in Catullo, præsertim in hoc carmine, ubi insolentiorem modo vidimus. *Vestris* porro *muneribus* vel pro *tuis* (cf. c. XCIX. v. 6.) accipies, quod nec metrum nec sequens *tuam* ferebat, vel non absurde in-

terpretaberis munera nuptarum universe, quas, ut suo exemplo ad ipsam colendam hortetur, coma reginam orat, utque sic largis unguinis muneribus efficiat, *sidera cur iterent* etc. Quod quid sibi velit, nunc dispiciendum. *Iterare* recte dici pro *dictitare*, exemplis confirmare necesse non est. *Cur* autem vel *quare* Græcorum more (cf. οὕνεκα, ἀνθ' ὧν), dictum esse pro *ut*, satis docet unum Horatii *accendis*, *quare cupiam magis*, (cf. ad hunc locum not. Heind.) Simillimum nostro loco est Bronkhusii, dictione eximii poetæ, (epigr. 1, 10.) *gramina cur iterent*, nec dubita, quin ad Catulli aut omnino veteris imitationem. Jam, quid efficere muneribus suis regina debet? Nempe, ut cætera sidera iterent i. e. dictitent: utinam coma regia fiam! Quid apertius aut ad rem aptius, equidem non video. Sed enim cur apertum non viderunt commentatores? Quia sequentem versum non ad *sidera* retulerunt, sed cum verbis *utinam coma regia fiam* conjunxere; quod facientes sensum ferendum eruere non potuere. Junge enim, simili modo atque in binis jam locis fecimus: *sidera, proximus hydrochoi fulgeret Oarion, cur iterent: utinam coma regia fiam!* et intelliges ad sensum optimum unum deesse, ut pro *fulgeret* legatur *fulgor et*. Enimvero, quid potius optet coma, quam ut cætera sidera, illius muneribus honorique invidentia, dicant: utinam coma regia fiam? At quænam sidera par est hic ante alia nominari? Nempe ea, quorum conditio beatissima videatur. Atqui talia sunt, Hydrochoi proximus fulgor (i. e. sidus), capricornus, et Orion, ille Jovis, hic, Homero teste, (Odyss. ε, 121.) Auroræ dilectus. Habes constructione abunde defensa, et mutatione levissima sensum, quo meliorem vix fingere possis: effice largis unguinis muneribus, ut sidera Capricornus et Orion, dictitent: utinam coma regia fiamus! *Sanguinis* prorsus depravatum judico, nec, quomodo, eo manente, explicatio probabilis existat, intelligo. In *vestris* autem si a codice abire ausis, possis probare conjecturam *siveris*, aut *feceris*, ut sit: unguinis expertem me esse non siveris, sed etc.

Habes duos carminis locos ita expeditos, ut supervacuum putem plura, queis emendatio commendetur, adjicere; etenim, constructione, quam secuti sumus, probata, cætera tam apta sunt ad rem, tam perspicuo nexu conjuncta, tam denique ab omni suspicione vindicata, ut insulsum sit aliud quærere: contra, non probata constructione, quidquid ad tuendam interpretationem adferrem, frustra foret. Atque hoc exemplo egregie adparet, quod supra monui, constructionis severa investigatio quanti sit cum in emendando momenti, tum in codicum lectione, ut ut suspecta, defendenda: quam, vide, an in duobus etiam carminis locis recte defendam; isque sit criticæ hujus opellæ finis. Priorem, servata codicum lectione, ita distinxi:

At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium,
Quum penitus moestas exedit cura medullas.
Ut tibi tunc toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit!

Quæ quum essent, me judice, sanissima, maluit tamen Vossius *et tu vero orbum;* Doeringius autem suadet *ut tu nunc orbum*, idemque, ut egregie emendatum a Bentlejo, laudat *quam* pro *quum*, damnatque *sed.* Peperit, inquit, hanc lectionem vitiosa lectio versus majoris etc. Denique pro *tunc* præfert, quod in quibusdam codicibus, *nunc.* Tu autem, præcedentia jungens, vide an temerarium nimis sit mutare, quæ, quamvis et aliter bene dici potuerint, e codicum lectione apte dicta inveniantur. Sensus enim est : id, (scilicet, non esse odio Venerem novis nuptis,) me regina mea docuit multis querelis, quum vir ejus idemque frater proelia invisit. At tu (sic ingeniose addit coma, quasi se corrigens) non conjugis, sed fratris discidium, non gaudia lecti interrupta, sed cari fratris absentiam luxisti, quum cura tibi medullas exedit (frater scilicet causa tanti doloris). Ut tibi tunc mens excidit! Quid hic adeo displicet, ut textum pluribus vocibus mutandum existimes? Aut quid tandem Doeringius profecit locum sic emendans et distinguens :

Ut tu nunc orbum luxti deserta cubile,
Et fratris cari flebile discidium.
Quam penitus moestas exedit cura medullas :
Ut tibi nunc toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit!

Quæ, (ut mittam *nunc* in quarto et primo versu juxta displicens,) vides, in quanta emendandi licentia quam male cum præcedentibus cohæreant. Sed eadem optima esse fingamus et nostra interpretatione sententiarum nexu et dictione, quod minime sunt, venustiora : an ideo conjecturis indulgebimus, antequam manifestum sit, e codicum lectionibus sensum probabilem obtineri non posse? Minime, nisi acumen nostrum potius quam poetæ ingenium quæramus.

Restat quartus locus in editione Doeringiana sic expressus :

Nunc vos, optato quas junxit lumine tæda,
Non prius unanimis corpora conjugibus
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
Quam jucunda mihi munera libet onyx.

Non male, si ita scripsisset poeta. At nimis apertum est, locum, ante una forte voce corruptum, sic esse emendatum. Enimvero, pro *prius* codices omnes habent *post;* et Jos. Scaliger ex antiquis codicibus, inquit Doeringius, locum sic restituit :

Nunc v. o. quæ j. l. t. n. post u., c. c.; tradite n. r. v. p., quæ (quod Scaliger mutat in *qua* pro *ut*) *j. m. m. l. o.* Vides, quo ducantur doctissimi homines; hac enim interpretatione nihil ineptius merito censet Doeringius. Sed idem non absurdam quidem, verum incredibilem emendationem proponit : *nunc post* (vel *vos*) *u. c. c. t., n. r. v. p., sic jucunda m. m. l. o.* Tu vero, si me audis, unius codicum lectionis extrema littera mutata, lege :

Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda,
  Non post unanimis corpora conjugibus
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
  Quin jucunda mihi munera libet onyx.

Cur ita? Quia sic levissima mutatione *quin* pro *quæ* id habetur, in quo nihil sive rem, sive dictionem respicias, offendit. De *post* pro *in posterum* confer LXIV, 323, *carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas.* De re autem, quid aptius cogitabis, quam comam nuptas precari, ut inposterum corpora non tradant conjugibus, quin munera sibi ex onyce i. e. unguenta libent? Cæterum in primo versu possis legere *quas* pro *quæ;* opus tamen non est; nam et *quæ* recte refertur ad *corpora*, et necesse non est, ut referatur ad *vos*, quia et alias et e sequentibus satis patet, post *vos* esse subintelligendum *novæ nuptæ*, et e versu 87. commode ad phraseos initum trahi potest *o nuptæ*. Restat ut partem carminis, qua tres emendationes continentur, continuam et ex nostra mente distinctam adjiciamus, quo melius sententiarum seriem nexumque intuens, possis judicare.

Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
  Abfore me a dominæ vertice discrucior;
Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus (*nunc*) expers
  Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda,
  Non post unanimis corpora conjugibus
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
  Quin jucunda mihi munera libet onyx :
Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili;
  Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius, ah! mala dona levis bibat inrita pulvis;
  Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sic magis, o nuptæ, semper concordia vestras
  Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens quum sidera divam
  Placabis festis luminibus Venerem,
Unguinis expertem non vestris esse tuam me,
  Sed potius largis effice muneribus,
Sidera cur iterent : utinam coma regia fiam!
  Proximus Hydrochoi fulgor et Oarion.

Habes, vir doctissime, notas hominis non nova critica in arte deliria, sed sanam mentem flagitantis, et ventosæ ignorantiæ, ubi ubi terrarum se jactet, inimici. Finis libelli primarius quis sit, in exordio dictum meministi; sed novum criticum refutare non poteram, quin in locos Sprengelis decreto restitutos quandoque altius inquirerem meamque sententiam proponerem. Cum re tamen, non cum homine, quem alia industria laude dignissimum non invitus credam, mihi negotium esse, intelliges. Acerbitatis autem si cubi indicia reperias, veniam citius dabis cum hominem mordenti, in quo, post multos meritæ in litteris famæ viros Ovidium emendante, vel hinc majorem modestiam exigamus, tum vero perinde dabis venerandæ antiquitatis ingenia et amanti ex animo, et injuriam ab iis repellendi occasionem lubentissime occupanti. In his autem ingeniis Ovidium, quamvis non uno nomine carpendum, tamen haud procul a summis veterum poetarum esse ponendum, nullus dubito contendere; quippe parum me movent *æsthetices* nostræ vix ullum iniquius, quam Metamorphoseon et Fastorum auctorem, prementis decreta; cui quidem si defensionem alterius judicio quærerem, profecto Goetheum, Ovidio, ut ipse fatetur, magnopere delectatum, decem facile *æstheticorum* acumini anteponerem. Quo magis optarem non frustra laborasse in locis Ovidii vel illustrandis vel emendandis. Sed de hoc doctorum imprimisque tui erit judicii existimare. Nam ineptis hominibus displicere ut nihili, sic tibi si possim placere, merito magni faciam. Atque hæc res me libelli admonet, cui legendo quum otium tibi fore non putassem, eo lubentius perlectum audivi. Nimirum, quæ est tua in me propensa voluntas, quod alii non facile dares, mihi negare religioni duxisti. De Stentore, rem acu tetigisti. – Sed de *Repertorio*, quæris, quid sim facturus? Pæne nihil. Cur? Alias dicam. Mendacem tamen, nequeo, quin hominem ipsius verbis exhibeam, ob eamque rem adjectum huic epistolæ mendaciorum indicem ad clariss. Beckium misi, quem is nisi inserendum *Repertorio* suo curet, ipse, ut quo deceat modo in popularium notitiam veniat, curabo. Disceptatiunculam hoc ipso tempore confectam *de homœoteleutorum versuum in poesi neolatina usu*, adjecta versione Schilleriani carminis *das Siegesfest*, ut primum potero, ad te mittam. Tametsi etiam dubito, an huic conjungam *hypsicompasticen*, ad quam conscribendam me impellit aureus vere liber, modo manibus meis menteque tritus. Interim, vir suavissime et doctissime, ut melius nequeas, vale, meque, ut facis, amare perge.

Scribebam Leodii m. Jul. a. MDCCCXXIII.

INDEX

LOCORUM, QUI IN HAC EPISTOLA TRACTANTUR.

EMENDANDA.

Pag. 3. *Lege* Iuvenale, Martiale, — 5. Commentatores *pro* commentores, — 6. promtum *pro* proptum, — 9. monui *pro* animadverti, — 11. diu exspectatam *pro* inexspectatam, — 16. pectus *pro* hanc tantum partem, — 18. veneris *pro* Veneris, — 28. vel, quod melius, *leges* simpliciter.


U.C. BERKELEY LIBRARIES


261936
Fuss

